UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Introductionis Ad Jus Canonicum

urn:nbn:de:hbz:466:1-62983

Visual Library

INTRODUCTIONIS AD JUS CANONICUM

CAPUT I.

De variis acceptionibus & divisionibus Juris & Justitiæ.

Juris Etymologia. Quid jus activè & passive sumptum. Quid Jus Jurisdictionis & Proprietatis. Justitiæ varia acceptio, definitio & divisio.

1.

VAriæ sunt de Etymologia Juris opiniones. Franciscus Connanus *l.* 1. *Com. Jur. Civ.* Jus dici putavit quod juxta sit. Majoragius *l.* 4. *Misc. c.* 1. aliiq; à juvando id derivarunt. Neutrum placet, cum utrumque durum sit, & longius petitum. Melius Ulpianus *l.* 1. *ff. de Jur. & Just.* Jus à Justitia denominavit, vel tanquam objectum ab ipso actu seu potentia, quemadmodum scibile à scientia

tia, visibile à visu appellatur ; Vel potius tanquam artem seu scientiam à suo fine ; Cum enim Jus definiat hic Ulpianus ex Celso esse *Artem æqui & boni*, sumitur in citata lege Jus pro scientia Juris, seu Jurisprudentia. Scientiæ vero & artes denominationem sæpè accipiunt à fine, quem sibi propositum habent, sic Grammatica dicitur ἀπὸ τῶν γραμμάτων, Logica ἀπὸ τοῦ λόγου &c. pari ratione collectio præceptorum, seu *Ars* illa *æqui & boni* à Justitia, quam sibi propositam habet, rectè denominari potest. Optimè Aristoteles & Isidorus ; Ille 5. *Eth. c.* 1. Jus activè sumptum deduxit à jussu seu jubendo ut nimirum sit hoc, quod vel DEUS, vel natura, vel Princeps, vel populus, vel civitas, vel consuetudo jubet. Isidorus vero *l.* 5. *Etymol. c.* 2. passive acceptum ab eo, quod justum est, derivavit ; Nam *Jus est dictum* per apocopen, *quia justum est*. *Dist.* 1. *c.* 2.

Porrò justum duplici sensu sumitur ; Primò latè, pro eo quod rationi & legi Divinæ, vel humanæ conforme est, ideoq; ab Aristotele 5. *Ethic. c.* 1. justum legitimum, id est, *quod à legum latrice facultate definitum est*, appellatur, spectatq; ad Justitiam legalem perquam quis-

que

que reddit, quod debetur Reipublicæ, cujus ipse membrum est, & fundatur in debita rectitudine actionum, quæ sunt ad alterum, licet alter per hoc nullum sibi jus acquirat; Sic divites tenentur dare Eleemosynam pauperibus, hi tamen non habent jus vel actionem, qua eos cogere possint ad eam elargiendam. Deinde justum sumitur strictè pro eo quod est æquum & alteri debitum, sicque objectum est Justitiæ particularis, quæ est virtus cardinalis, prout infra dicetur *num.* 3. Hoc sensu Justum seu Jus acceptum tres requirit conditiones: Prima est, ut sit ad alterum vel realiter vel tantum moraliter distinctum; Quapropter licet inter Patrem & Filium, Maritum & Uxorem, Dominum & servum in sensu morali non detur jus proprie dictum, cum filius sit pars moralis Patris, Uxor Mariti, & Servus Domini, quatenus nimirum subjacent voluntati Patris, Mariti & Domini; Datur tamen inter illos jus & justum simpliciter, ut sunt alii à se & distincti realiter, si nimirum comparentur inter se præcisè, ut homines sunt absque subjectione unius ad alterum, ideoque si Pater filios, maritus Uxorem, aut Dominus servos immerentes infamaret, mutilaret, aut occi-

deret, injustè ageret. Secunda conditio est, ut sit debitum, adeoque illius violatione alteri fit injuria. Tertia est, ut sit æquale, vel saltem æquabile juri alterius, & eam ob causam non datur justum strictè sumptum inter DEUM & Creaturas, quia cum Creatura reddere non possit DEO æquivalens, non poterit etiam jus suum juri DEI æquare.

2. Jus active sumitur pro libera & legitima potestate aliquid agendi inducendo in alterum obligationem aliquam, quod proinde jus potestativum à Theologis appellatur; quo sensu dixit Jurisconsultus in Reg. 54. ff. *Nemo plus juris*, id est potestatis, *in alterum transferre potest quam ipse habeat.* Hac acceptione Jus bifariam dividitur: in Jus *Jurisdictionis*, quod felicitatem subditorum præcipuè spectat, & *proprietatis* quod utilitati subjecti, cui inest, primario servit.

Jus Jurisdictionis vario sensu usurpatur. 1. Pro lege, sic Isidorus in c. 2. Dist. 1. *Jus generale nomen est, lex autem Juris est species*, ideoq; quæ lege naturali aut positiva præcipiuntur, aut prohibentur, dicuntur præcepta aut prohibita jure naturali vel positivo. 2. Pro Judicis sententia, diciturque hoc sensu

Ju-

Judex dictare jus, & *Prætor jus reddere etiam cum iniquè decernit : Relatione scilicet facta non ad id quod ita Prætor fecit, sed ad illud, quod Prætorem facere convenit l. pen ff. de Just. & jur.* 3 Pro scientia legum seu Jurisprudentia ; Sic Ulpianus *l. 1. ff. de just. & jur.* ait : *Juri,* id est scientiæ legum, *operam daturum nosse oportet, unde nomen juris descendat,* & definitur ibidem : *Ars boni & recti,* quia licet in omnibus spectanda sit æquitas, in Jure tamen civili potissimum hæc requiritur. *l. in omnibus quidem ff. de reg. juris.* & maximè in jure Canonico, quod à Sede Apostolica, & Sacris Conciliis emanavit. Inde dicuntur Juris Studiosi, qui huic scientiæ dant operam, Jurisconsulti vel periti, qui eandem callent. *l. 1. C. de Asses. l. 9. ff. de pœnis. l. 4. ff. de var. & extraord. cogn.* 4. Pro loco in quo Jus redditur, *appellatione collata ab eo, quod fit in eo, ubi fit. l pen. ff. de just. & jur.* Hinc illæ loquendi formulæ : In jus vocare, ambulare, in jure comparere; *Quando ego te in jure conspicio,* inquit Cicero pro Murena. Neque tantum pro loco sumitur ubi Prætor aut Magistratus jus dicit; Sed etiam in quo Judex Pedaneus

Judicat. *l.* 4. §. *quod ait ff. de interr. in jur. fac.* 5. Pro libris, quibus leges sunt comprehensæ. 6. Demum *nonnunquam jus etiam pro necessitudine dicimus, veluti est mihi jus cognationis vel adfinitatis. l. fin. ff. de just. & jur.*

3. Justitia, sic dicta quod jus sistat ac statuat varie quoque accipitur. 1. Pro lege: *Scitis quod docuerim vos præcepta atq; justitias. Deut.* 4. *v.* 5. 2. Pro observantia legis, prout sumpsit Tullius *l.* 1. *de leg.* cum dixit, eam esse *obtemperationem legis.* 3. Pro habitu gratiæ sanctificantis, quo homo efficitur DEO gratus, & justus, prout sæpè sumitur in sacris literis & Tridentino, quod *Sess.* 6. *c.* 7. ait. *Unicam formalem causam justificationis esse justitiam DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet verè justi nominamur & sumus justitiam in nobis recipientes.* 4. Pro collectione omnium virtutum, ut Philosophus 5. *Eth. c.* 3. ex Theocride dixit: *Justitia in sese virtutes continet omnes.* Et Zacharias apud Lucam *c.* 1. *v.* 75. *Serviamus illi in sanctitate & justitia.* 5. Pro cujuslibet virtutis habitu vel actu, sic quamlibet operationem honestam vocamus

camus opus justum ; Et Christus ait *Matth.* 6. v. 1. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* 6. Pro omni & sola virtute, quæ est ad alterum aliquo modo distinctum sive realiter, sive juris fictione ab operante, ut ei suum quoddam jus tribuat. Qua ratione complectitur non solum quatuor species justitiæ strictè sumptæ, sed etiam Misericordiam, Pietatem, Gratitudinem, Religionem, Liberalitatem, Munificentiam & Obedientiam. 7. Denique strictè sumitur pro Justitia particulari, seu speciali virtute morali, quæ tanquam virtus Cardinalis annumeratur Prudentiæ, Temperantiæ & Fortitudini *Sap. 8. Sobrietatem*, id est Temperantiam, *& Prudentiam, docet & Justitiam & virtutem*, id est & Fortitudinem. De hac in præsenti agimus, & definitur ab Ulpiano *l.* 10. *ff. de just. & jur. Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* In qua definitione loco generis sunt hæc verba: *Constans & perpetua voluntas*, omnes enim virtutes voluntatis sunt habitus vel actus ejusdem, pro quibus ibi voluntas sumitur, iique *Constantes*, id est firmi, virtutis enim est firmare voluntatem in bono honesto;

ac *perpetui*, non ex parte actus; quod actus Justitiæ semper durare debeat, nec ex parte subjecti, ut inhærere debeat subjecto, hoc est animæ rationali perpetuò, sed ex parte objecti, ut velit omni tempore & in omni re indemnitatem alieni juris servare. Reliqua verba: *Jus suum cuique tribuendi*, ponuntur loco differentiæ desumptæ ex proprio ejus objecto, quod est jus, ut est idem, quod justum ac debitum.

4. Justitiæ modo definitæ quatuor assignamus species: Legalem, distributivam, commutativam & vindicativam. *Legalis* spectat conservationem vel augmentum istius communitatis vel Reipublicæ, cujus quis pars seu membrum existit. *S. Thom. 2. 2. a. 6. & in 5. Eth. l. 3.* Dicitur quoque generalis, quia spectat bonum generale & commune, propter quod leges conditæ sunt; ideoque est virtus specialis distincta à cæteris, cum habeat speciale objectum, nimirum bonum commune, & specialem honestatem, quæ reperitur in hoc studio boni communis, quam nulla alia virtus specialis, neque etiam cæterarum collectio intendit. *Justitia distributiva* est virtus, qua Princeps aut Resp. distribuit commoda & onera communia intra membra com-

munitatis servatâ proportione ad merita singulorum. *Commutativa* quæ antonomasticè est *Justitia* tribuit unicuique suum absque respectu ad merita, & sine comparatione unius ad alterum, curatque solum, ut constituatur æqualitas inter datum & acceptum, inter lucrum & damnum. Differunt hæ duæ virtutes inter se specie & essentialiter. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 60. *a.* 1. per aliam enim virtutem ordinatur totum ad partes suas secundum proportionem dignitatis singularum, & per aliam ordinatur pars ad compartem, sive totum privatum ad aliud totum privatum, quia jus quod habet pars ad compartem, est jus merè proprium ipsiq; debitum, ut seorsim spectatæ; Jus autem, quod habet pars ad totum, seu civis adversus communitatem est Jus ad aliquid commune possidendum cum proportione dignitatis, quam habet in ordine ad bona communia, quæ cum fundent diversam valde rationem debiti, erunt quoque jura valde diversa. Differunt ergo Justitia distributiva & commutativa in eo, quod hæc jus suum tribuat alteri tanquam toti privato, & metiatur æqualitatem debitam juri alterius secundum proportionem Arithmeticam, illa vero jus suum tribuat alteri

teri tanquam parti communitatis formaliter, & exigat æqualitatem secundum proportionem Geometricam. *Arist. 5. Eth. c. 3. & 4. S. Tho. l. c.* Justitia demum *vindicativa* est, quæ inclinat ad puniendum delicta pœnam condignam pro gravitate delicti infligendo, ne nimirum nimia remissione libertas peccandi crescat, neque pœnarum severitas culpæ mensuram excedat. Hæc à cæteris Justitiæ speciebus supra enumeratis adæquatè distinguitur, prout inter cæteros more suo doctè ostendit P. Martinus de Esparza *quæst. 22. de virt. Justit.* de qua pluribus Theologi cum Magistro *in 3. Dist. 36. S. Thoma 2. 2. à quæst. 57.* & Philosopho 5. *Eth.* Nobis ad intentum nostrum hæc pauca hic delibasse satis est.

CAPUT II.

De divisione Juris proprietatis in Re, & ad Rem.

Quid Jus in re seu Reale, & ad rem seu Personale. Quid mixtum. Quid Dominium proprietatis & Jurisdictionis. Quid Imperium merum & mixtum.

1.

CElebris est Juris proprietatis divisio ex parte objecti in *Jus in Re & Jus ad Rem.* Clem. un. de sequest.

queſt. & poſſ. fruct. Jus in Re eſt facultas quam quis habet in Re jam ſua ne ab altero lædatur; adeoque adhæret rei aut perſonæ conſideratæ ut res, eamque immediatè devinctam habet, ita ut ad quemcunque res, aut perſona ut res conſiderata, devenerit, competat nobis illius vindicatio, ideoq; dicitur *Jus reale l. officium ff. de rei vindic.* & parit actionem realem, quæ vocatur rei vindicatio *lib. 6. tit. 1. ff.* Ad hoc regulariter tria requiruntur; Primo *exiſtentia rei*, ſive illa ſit corporalis & tangibilis, ut domus, ſive incorporalis & tangi nequeat, ut jus Patronatus, quod conſiſtit in denominatione quadam morali; Nam res non exiſtens nondum eſt obtenta nec juri devincta, ideoque ad fructus ſequenti anno proventuros non habent Eccleſiaſtici Jus in Re, ſed ſolum ad Rem. Secundo requiritur *Titulus* aliquis juſtus v.g emptionis, donationis vel ſimilis, ut dominium rei comparetur; ideo fur & uſurarius defectu Tituli non habet Jus in re circa pecunias furto vel uſura acquiſitas. Tertiò demum requiritur *Traditio* quia Traditionibus & uſucapionibus dominia rerum non nudis pactis transferuntur *l. 20. C. de pact.* adeoque

Em-

Emptor, si res empta nondum sit illi tradita, non habet jus in Re; sed solum ad Rem. Licet vero regulariter, ut dixi, ad obtinendum jus in Re requiratur traditio, in aliquibus tamen casibus ex speciali Juris dispositione hæc non est necessaria, veluti primò in Beneficiis Ecclesiasticis, in quibus per solam collationem & acceptionem comparatur Jus in Re *c. si tibi absenti de Præb. in 6.* Secundò in hæreditate rerum, in quibus acquiritur Jus in Re per solam aditionem verbo vel scripto factam, *l. cum Hæredes ff. de acquir. poss. §. ult. Instit. de hæred. qual. & diff.* Tertiò in donationibus, venditionibus & similibus factis Civitatibus, Ecclesiis aliisque piis locis ob speciale privilegium, acquiritur Jus in Re ante traditionem *l. ult. C. de Sacro S. Eccles. Covarr. l. 2. resol. c. 19. n. 2.* Licet autem in dictis casibus dominium rei acquiratur ante apprehensionem, non tamen acquiritur ejusdem possessio, quia *possessio nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet. l. cum Hæredes ff. de acquir. poss.*

2. Jus ad Rem est facultas, quæ habetur ex aliquo Titulo ad actum futurum, vel rem debitam nondum obtentam; adeoque Jus ad Rem obligat, seu devincit directè non rem ipsam, sed per-

sonam

sonam qua talem in ratione agentis, ad aliquid nimirum tradendum seu præstandum vel ex contractu aut quasi contractu v. g. ex mutuo, venditione, vel ex delicto, aut q. delicto v. g. ex furto, ideoq; dicitur *Jus personale*. Quamvis ergo hoc jus respiciat etiam rem ut terminum mediatum remotum, proximè tamen respicit personam quà talem eamque sibi immediatè devincit. Ex hoc jure oritur *Actio personalis*, quæ ita tendit in personam obligatam, ut contra alium rei possessorem institui non possit; Sic qui emit equum numerata pecunia, priusquam equus tradatur, non potest illum ab alio exigere, quam à venditore, & contra hunc solum actionem instituere personalem, licet equus vel furto vel venditione vel donatione ad alium pervenerit *l. pen. C. de act. & oblig. & §. omnium autem Instit. de actio.*

Hinc inferes. 1. Jus quod habemus adversus alios, ne nos in usu rerum nostrarum vi aut dolo impediant non esse personale, tum quia nec provenit ex contractu vel q. nec ex delicto vel q. tum quia non est ad terminum aliquem positivum sed negativum, & consequitur ad Jus in Re, cum enim habeam jus in bonis meis & fama, habeo consequen-

quenter Jus, nequis in usu eorum me impediat.

Inferes 2. Cur Dominus habeat jus reale in mancipium suum, Conductor vero personale in operarium, licet utrumque jus versetur circa personam immediate; Quia jus Domini respicit mancipium ut rem, quæ subest dispositioni Domini, ut possit vendi, huc illuc pro libitu transferri &c. Jus vero conductoris tendit in operarios, ut personas in ratione agentis ad præstandas nimirum operas, ad quas conducti sunt.

Inferes 3. Quod omnis actio oriatur ex obligatione aliqua, qua vel persona vel res aliqua nobis est obligata. Actio vero duobus modis accipitur, vel pro actu perquam petitur res ab alio debita, vel pro potentia seu jure agendi, & definitur: *Jus persequendi in judiciis, quod sibi debetur. Instit. de actio.*

3. Præter jus reale & personale datur quoque *Jus mixtum* sicuti dantur actiones mixtæ, quæ nec strictè reales sunt, nec strictè personales, sed de utrisque participant, ut patet ex *tot. lib.* 10. *ff.* & quatuor assignantur, quæ partim, sunt in rem, partim in personam. Prima est: *Finium regundorum*, qua agitur de finibus prædiorum confusis iterum

deter-

determinandis. Secunda: *Familiæ erciscundæ*, qua agitur inter cohæredes de dividendis rebus hæreditariis. Tertia: *Communi dividundo*, quæ datur illis inter quos est res communis, ut legatum, donum &c. dividatur, vel, quod præstandum est, præstetur. Quarta: *Ad exhibendum*, quale habet v.g. Titius adversus Cajum, apud quem putat probabiliter latere servum suum fugitivum, & agere potest, ut jubeatur Cajus exhibere hominem, quem detinet, ad cognoscendum, an sit servus fugitivus, nec ne. Hoc jus mixtum est, quia non est purè reale, cum non fundet immediatè actionem vindicationis, nec etiam est merè personale, cum detur hæc actio contra quemcumque ad quem servus pervenerit, adeoq; rei potius, quam personæ inhæret.

4. Jus in re aliud est perfectum, quod Dominium dici potest, aliud minus perfectum, quale Depositarius habet in depositum, Creditor in pignus, & usuarius in rem, cujus usum habet. Dominium duplex est: Jurisdictionis & proprietatis. Dominium proprietatis definitur à Bartolo in *l. si quis vi* §. *differentia ff. de acquir. poss. Jus perfectè disponendi*

di de re corporali nisi lege prohibeatur. Dicitur *Jus* id est, facultas seu potestas; *Perfecte* explicat plenitudinem Dominii; *De re*, denotat jus proprietatis, nam Jurisdictionis versatur directè circa personas; *Corporali*, indicat rerum incorporalium, ut sunt officia, servitutes, actiones personales & similia, non haberi propriè Dominium & possessionem, sed quasi Dominium & quasi possessionem. Demum verba: *Nisi lege prohibeatur*, denotant, quod per accidens, & non ex defectu Dominii aliquando fiat, ut quis per legem vel pactum impediatur à perfecta dispositione vel usu rei; Sic pupillus, qui licet perfectum habeat in sua bona Dominium, *cum sit Dominus omnium. ad Gal. 4. v. 1.* non potest tamen ob legis prohibitionem illa abalienare. Et qui domum emit cum pacto non vendendi, fit Dominus domus, licet non possit de illa disponere per venditionem, cum pactum per accidens conjunctum id vetet.

Dominium hoc proprietatis aliud est perfectum & plenum, aliud imperfectum & imminutum, idque dupliciter, vel ex parte objecti, vel ex parte subjecti. Perfectum ex parte objecti est, quod complectitur rei proprietatem simul & com-

commoda; Imperfectum ex parte objecti est, quod vel solam habet propietatem rei sine commodis, & dicitur *Dominium directum*, ejusque Dominus *Proprietarius* seu *Dominus directus*; Vel solum habet usum & commoda, & dicitur *Dominium utile*, Dominus vero *Fructuarius*. Ex parte subjecti Dominium plenum est, si quis consortem Dominum mortalem non habeat, diminutum vero si talem agnoscere debeat.

5. Dominium Jurisdictionis est potestas gubernandi subditos ad eorum in primis utilitatem. Actus illius sunt præcipere, prohibere, punire, ferre leges, in iis dispensare, pronunciare sententiam, & definire quid jus postulet. Aliud est divinum & increatum, quod est absolutissimum, & omni ex parte perfectissimum; Aliud humanum sive creatum, quod dividitur in Ecclesiasticum & politicum seu temporale. *Illud* quidem *divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens ac diligentiam exhibens.* Utrumque dividitur in Imperium & simplicem Jurisdictionem. *Bart. in l. 1. & l. Imperium ff. de jurisd. om. Iud. Abbas in c. quod sedem de offic. ordin.* Imperium est jurisdictio, quæ nobili Judicis officio exerce-

ercetur. Ubi per nomen Judicis intelligitur quæcunque publica poteſtas. Dicitur vero nobile Judicis officium, quod per ſe ſtat, & non eſt alligatum actioni; Judex enim motu proprio & ex officio, non adactus à partibus ptocedere poteſt ad delicta punienda, beneficia concedenda &c. *c. qualiter* 17. *de accus.* Simplex jurisdictio eſt, quæ exercetur Judicis officio mercenario. Dicitur officium mercenarium, quod deſervit actioni merè civili, per quam nimirum pars litigans intendit conſequi jus ſuum, ſeu *intereſſe* proprium, ut Legiſtæ loquuntur; Simplicis ergo jurisdictionis officium ideo mercenarium, & actioni deſerviens dicitur, quia Judex motu proprio ſive ex officio procedere non poteſt ad lites civiles, ſed ſolum ad inſtantiam partium, iis enim deſiſtentibus Judex quoque ceſſare debet, inſtantibus vero & judicium expetentibus ſententiam etiam ferre tenetur.

6. Jam vero imperium dividitur in merum & mixtum. *Bart. & Abb. ll. cc.* *Merum eſt*, quod exercetur nobili Judicis officio publicam utilitatem reſpiciente; Actus illius ſunt leges ferre, ſontes plectere &c. Habetque diverſos gradus, quorum primus eſt *Maximi imperii*,

quo

quo spectat potestas bellum inferendi, universales leges condendi, Concilia vel Comitia generalia cogendi, cognoscendi de causis absque remedio appellationis; Item potestas monetam cudendi, vectigalia imponendi &c. quæ *Regalia* vocantur, quia propria sunt Regis seu supremi Principis. Secundus gradus est *majoris Imperii, & est habere gladii potestatem in facinorosos l. imperium ff. de jurisd. om. Ind.* Huc spectat potestas maximæ capitis diminutionis inferendæ, quod supplicii genus apud Romanos olim in usu fuit. *l.* 8. §. *est pœna ff. de pœn.* & mors quædam civilis habebatur, cum per hanc pœnam non solum jus civitatis, sed etiam libertatis amitteretur, & servi efficerentur, qua in metallum damnabantur & metallici dicebantur. *l.* 10. §. 1. *l.* 36. *ff. de pœn.* vel ad bestias, *l.* 6. *ff. ad leg. Juliam peculatus.* In Jure Canonico huc pertinet potestas Clericum degradandi & brachio sæculari extradendi: Item excommunicandi non ad instantiam partis læsæ, sed motu proprio. *Mol. tract.* 5, *de Just. disp.* 6. Tertius gradus est *Imperii magni*, ad hoc spectat posse igni & aquæ interdicere, in exilium deportare, & dicitur hæc pœna media, seu minor capitis diminutio,

perquam Jus civitatis non libertas amittitur. *Instit. de cap. demin.* sed huic supplicii generi postea sublato successit deportatio in Insulam. *l. 3. ff. ad leg. Jul. peculatus. l. 2. §. 1. ff. de pœn.* Quartus gradus est *parvi Imperii*: quo spectat posse relegare, torturæ subijcere, in corpore acriter, sed citra mortem vel mutilationem punire. Quintus gradus est *imperii minoris*, quo pertinet modica cöercitio in corpore. Sextus gradus est *imperii minimi*, ad quod spectat posse exiguam mulctam pecuniariam imponere.

7. Mixtum imperium est, quod exercetur nobili Judicis officio privatum cõmodum spectante; Actus illius sunt: Dispensare in lege, & ætate, dare Privilegium, constituere Tutores, restituere in integrũ, contra facinorosum procedere ad alterius instantiam Judicis officium implorantis. Quemadmodum imperium merum, ita & mixtum in suos gradus distinguitur; Est enim unus gradus *maximi imperii* supremo Principi reservatus, v. g. illegimos vel jure infames integro statui, vel famæ restituere, revocare sententiam, quæ transivit in rem judicatam &c. Et sic per alios gradus supra relatos, qui inferioribus etiam potestatibus conveniunt, descendi potest. CA-

CAPUT III.

De divisione Juris accepti pro lege.

Quid jus naturale & positivum. Quid jus divinum tum vetus, tum novum, & humanum. Quid jus gentium & civile, scriptum & non scriptum, publicum & privatum.

1.

Sicuti Lex ita Jus pro lege sumptum dividitur in Jus naturale & positivum. Naturale est, quod instinctu naturæ non constitutione aliqua habetur. *c.* 7. *Dist.* 1. & definitur ab Aristotele 5. *Eth. c.* 7. *Quod ubique eandem vim habet, & non quia videtur, aut non videtur*, id est, cujus obligatio oritur non ex arbitrio præcipientis, sed ex natura rei, quæ cum eadem sit apud omnes, eandem quoque ubique, & apud omnes vim habet. Jus vero naturale triplex est, ut statuit S. Thom. 1. 2. *q.* 94. *a.* 2. secundum triplicem inclinationem quam habet homo ad bonum prosequendum, & malum vitandum. Primo inest homini inclinatio ad conservationem sui, tanquam ad bo-

num ſecundum naturam, in qua communicat cum omnibus ſubſtantiis; *Omnis enim natura*, ut ait Cicero *l. 4. de fin. vult eſſe conſervatrix ſui, ut ſalva ſit, & in genere conſervetur ſuo* ſecundum hanc inclinationem juris ſunt naturalis ea omnia *perquæ vita hominis conſervatur & contrarium impeditur.* Et conſentiunt Jurisconſulti, cum docent *nihil tam naturale eſſe, quam eo genere quodq; diſſolvere, quam quo colligatum eſt.* *Ulpianus l. nihil tam naturale de reg jur.* Secundo ineſt homini inclinatio ad aliqua magis ſpecialia ſecundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus, & ſecundum hoc dicuntur ea eſſe de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, ut eſt commixtio maris & fœminæ: & educatio liberorum & ſimilia. Ita S. Thomas *l. c.* Et hoc ſenſu definitur Jus naturale ab Ulpiano: *Quod natura omnia animalia docuit l. 1. ff. de Juſt. & Jur.* adeoque jus ſic acceptum nihil eſt aliud, quam inſtinctus naturæ ſenſitivæ, qui hominibus cum brutis eſt communis. Veruntamen hic brutorum inſtinctus abuſivè dicitur jus naturale, cum non reguletur à ratione, à qua jus originem trahit; Atque

que inde est, quod bruta nullum habeant jus cum hominibus commune, tum quia non habent dominium in proprios actus, uti natura habet rationalis, tum quia si bruta à nobis impedirentur in in suis operationibus, fieret ipsis injuria, cum injustum sit impedire jus alterius. Tertio modo pergit S. Thomas *l. c. ineſt homini inclinatio ad bonum ſecundum naturam rationis, quæ eſt ſibi propria*, & ex hoc profluit jus naturale proprie dictum, de quo Cajus Jurisconsultus *l. omnes populi ff. de Juſt. & Jur. Quod vero naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur.* Propriæ ergo & formaliter ineſt jus naturale homini, quod nihil est aliud, quam recta ratio ab auctore naturæ ipsi indita, seu dictamen & conscientia præcipiens aliquid necessario faciendum vel non faciendum. Scite, ut solet, Seneca ad Lucilium *Epiſt. 65. Eſt ergo à DEO tamquam naturæ authore impreſſum inditumque cordibus noſtris, per quod ſecundum dictamen rationis practicæ actus humanos liberos ad bonum juſtumque dirigimus.* Hujus juris præcepta sunt omnia practica dictamina naturaliter nota, non solum uni-

ver-

versalia illa : Malum esse fugiendum & bonum faciendum, sed etiam magis particularia in illis radicata, ut est inprimis illud : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, seu ut Christus docet. *Matth. 7. v. 12. Omnia quæcunq; vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; Hoc enim complectitur præcepta secundæ tabulæ Decalogi, & quæ ex iis per consequentiam naturalem deducuntur ; Ideo S. Augustinus in Psal. 57. *Nullus est, qui sola natura duce non asserat, nolle accedi ab altero ad uxorem suam, sibi furtum fieri, & qui velit injuriam pati, cui non displiceat, panem sibi negari esurienti, peregrinum non suscipi, dictareque rationem naturalem, ut eadem aliis vel non faciamus mala, vel bona præstemus.*

Jus illud naturale est immutabile ex natura sua, & si quæ mutatio fiat in iis, quæ juris sunt naturalis, hæc non provenit ex eo, quod ipsum jus naturale per dispensationem aliquam vel abrogationem in se mutetur, sed quod objectum ob supervenientem circumstantiam extrahatur è numero eorum, quæ juris erant naturalis ; Sic reddere depositum juris est naturalis, nunquam tamen de

jure

jure fuit naturali furioso reddere ensem depositum.

2. Jus positivum sive lege positum, ut loquitur S. Thomas 5. *Eth. lect.* 12. secundum Aristotelem 5. *Eth. c.* 7. est: *Quod ab initio* (nimirum ante legem latam) *hoc an illo modo fiat, nihil refert: cum autem positum fuerit, refert*, id est quod non ex natura rei, sed ex libera DEI vel hominis voluntate pendet.

Hinc deducitur 1. Ea quæ sunt contra jus positivum, mala esse quia prohibita; quæ vero sunt contra jus naturale, prohiberi quia inse mala sunt. 2. Apud diversas gentes, diversa esse jura positiva. 3. Pro temporum varietate variari quoque hæc jura posse, cum enim Principis arbitratu posita sint, ejusdem quoque voluntate mutari aut tolli poterunt, si Reip. expedire judicaverit.

Dividitur jus positivum in Divinum & humanum. Divinum est, ut inquit S. Tho. 2. 2. *q.* 57. *a.* 3. *ad* 3. quod divinitus promulgatur, hoc est, quod DEUS vel Christus statuit, & per se vel per ministros, puta Angelos, Moysen, & Apostolos promulgavit. Hoc subdividitur in vetus & novum; Vetus est, quod DEUS in veteri Testamento Judæis tulit, & per Angelos acceptum Moyses tan-

tanquàm Præco DEI primus promulgavit *c. Moyſes* 1. *Diſt.* 7. Hoc triplicis generis præcepta continebat: *Moralia* ad formandos mores, ut ſunt præcepta Decalogi *Exod.* 20. *Cæremonialia* de rebus ad divinum cultum ſpectantibus contenta in libro Levitici *c.* 1. *& ſeq. Judicialia* de rebus civilibus & politicis conſignata in libro Exodi *c.* 21. *& ſeqq.*

Jus divinum poſitivum novum eſt, quod Chriſtus in novo Teſtamento condidit, & tum ipſe tum ejus Apoſtoli ex ore Magiſtri ſui promulgarunt. Quæ vero iidem Apoſtoli tanquam Rectores Eccleſiæ ſtatuerunt, ad jus humanum pertinent, ut ſunt: Canones Apoſtolorum, Decreta de jejunio quadrageſimali, celebratione diei Dominicæ & ſimilia. Hoc jus nunquam abrogabitur per aliud novum *Jerem.* 32. *v.* 40. quia hoc ſalvare poteſt in ſempiternum. *Hebr.* 10. quod non poterat vetus, & ideo antiquatum eſt; Nam translato Sacerdotio neceſſe fuit, ut legis translatio fieret *Hebr. c.* 7. *v.* 12.

3. Jus humanum, quod humano arbitratu conditum, dividitur in ſæculare, quod auctoritate Principis vel Magiſtratus ſæcularis, & Eccleſiaſticum, quod auctoritate Eccleſiæ eſt latum. Sæcu-

lare

lare subdividitur in Jus gentium & Civile *c.* 6. *Dist.* 1. Jus gentium dicitur *quia eo jure omnes fere gentes utuntur. c.* 9. *Dist.* 1. & est quod usu & moribus introductum *apud omnes*, aut fere omnes *populos peræque custoditur & observatur. Inst. de Jur. nat. gent. & civ. §. Jus autem gentium.* Hoc jure introductæ sunt rerum & dominiorum divisiones & obligationes. *l.* 5. *ff. de Just. & Jur.* fœdera, servitutes captorum justo bello, Legatorum non violandorum religio, & similia *Instit. l. c. c. Jus gentium dist.* 1. Quamvis jus illud utpote humanum ex parte abrogari possit, ut defacto abrogatum est, quod Christiani capti à Christianis in bello justo mancipia fiant, fieri tamen moraliter non potest, ut totum eliminetur, quia ad hoc requireretur consensus omnium, aut ferè omnium Nationum; Nec ut fiat expedit ob gravissima incommoda & mala, quæ inde orirentur, si v. g. rerum divisio tolleretur.

Differt vero jus gentium à naturali in multis: Jus enim naturale obligat ex natura rei, non arbitrio tantum recipientis. Est penitus immutabile, imo de ipso nec DEUS judicat, sed *per ipsum judicat qui judicat. S. Aug. de ver. relig. c.* 31. Est tempore primum, quia

coæ-

coævum ipsi naturæ hominis ; Rectè intellectum idem est apud omnes. E contrario jus gentium non obligat nisi ex arbitrio hominum ; Potest hominum arbitrio, si non plane tolli, saltem minui. Non prius condi cœpit quam homines multiplicarentur superterram. Nec est ubique idem.

4. Jus civile communiter nunc usurpatur pro omni jure, quod à sæculari potestate constituitur ; Cæterum dicitur id *quod quisque populus vel quævis civitas sibi proprium constituit. c. 8. dist. 1.* Unde aliud est Athenienſium, aliud Lacedæmoniorum, aliud Romanorum, quod per Antonomasiam Jus commune & Civile appellatur §. *Sed jus quidem Instit. de jur. nat. &c.* quia potissima & principalior pars juris est Romanorum, ideoque dicitur etiam Jus Quiritum, quia Romani Quirites vocabantur *c. 1. Dist. 1.* vel à Romulo Quiritio, sic dicto ab ingenti ejus hasta, quæ Sabinorum lingua Quiris dicebatur *Glos. Inst. de jur. natur. §. Sed jus* vel quod sic à Curibus Sabinorum urbe appellati sint. *Liv. l. 1.*

Efficitur hoc jus cum juri naturali vel gentium aliquid additur vel detrahitur. *l. 6. ff. de Just. & Jur.* Sic v. g. præscribit jus gentium sontes esse puniendos,

dos, sed cum non præscribat quo genere pœnæ, addit & determinat id Jus civile, ut latro gladio, fur laqueo puniatur. Similiter præscribit Jus gentium pacta esse servanda, huic detrahit Jus civile, dum statuit pupillum non obligari ad servandam promissionem ab eo factam ob ætatis fragilitatem.

Dividitur Jus civile in scriptum & non scriptum seu Consuetudinem ut innuitur à Gajo *l. omnes populi ff. de Just. & jur. Instit. de jur. natur. tit. 2. §. Jus autem civile* Jus non scriptum seu consuetudinarium est Jus ex usu & praxi veniens approbatum, vel: *Jus diuturnis utentium moribus introductum. Instit. l. c. §. sine scripto.* Sive illud in scripturam postmodum redigatur, ut jura feudorum, sive non; Non enim desinunt esse consuetudines, quod in scripturam referantur. Dividi potest in generale, quod ubique in Imperio Romano servatur, ut est jus feudorum & in speciale, quod in certa Provincia vel civitate est introductum.

Scriptum dicitur, non quod literis sit consignatum, sed quod præscriptum sit & sancitum; Sicuti nec leges à legendis legum tabulis dictæ sunt, id enim magis conservandæ memoriæ causa fit, quam quod sit de legis essentia, ut benè advertit

tit Ant. Augustinus *in lib. de leg. c. 1. in fin.* Itaque jus scriptum est, quod authoritate publicâ sancitum & omnibus subditis præscriptum est, licet inscripturum non sit relatum. Jus vero non scriptum est, quod non est auctoritate publica expresse præscriptum, sed moribus solum utentium receptum, & tacitè comprobatum est, licet id postea literis consignetur.

Jus scriptum dividitur in commune & particulare. Commune dicimus totum illud, quo Imperium Romanum cum capite suo ac omnibus membris regitur. Particulare vero appellamus primò Jus militare, quod ad militarem disciplinam spectat *ff. de re milit. C. de offic. mil. Jud. de militari testam.* Jus municipale, quod ligat solum subditos loci; Paternum, quod Pater habet ad filium; Hærile quod Dominus ad servum, & Oeconomicum, quod vir ad Uxorem habet. *S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 4.* Præterea jus particulare vocamus statuta, quæ à Collegiis, Mercatoribus, Campsoribus fiunt, & illos tantum obligant. *Bart. in l. 9. n. 2. 6. 7. de Just. & jur.* Demum mutuum etiam consensum duarum privatarum personarum in privato contractu factum, appellare possumus jus particulare, nam talis consensus sufficit

ficit ad jus aliquod inter duos constituendum. *S. Thom. l. c. a.* 2.

5. Jus commune iterum subdividitur in publicum & privatum. Publicum est, quod ad statum rei Romanæ spectat. *l.* 1. §. 2. *ff de just. & jur.* & in tribus versatur: *Sacris*, *Sacerdotibus* & *Magistratibus*. *c.* 1. *dist.* 1. Sacra sunt, quæ DEO & ejus cultui consecrata sunt. *Festus l.* 16. Ut templa, indumenta Sacerdotalia, Altaria, vasa aliaq; divinis ministeriis inservientia. Spectant hæc ad jus publicum, quia res sacræ à Juristis dicuntur publicè consecratæ à Principe, vel ab eo potestatem habente, adeoque si quis privatus sibi sacrum constituerit, profanum erit. *l.* 6. *in tantum* §. *res autem sacræ. l.* 9. *sacra loca ff. de divis. rer. l. interdum ff. ut in poss. legat.* Per Sacerdotes hic intelliguntur omnes, qui DEO & sacris vacant *l. non distinguemus* §. *Sacerdotio ff. de recept. Glos. in l.* 1. *de Just & jur. v. Sacerdotes.* Hi quoque spectant ad jus publicum, quia pro populo preces DEO offerunt, & sunt mediatores inter DEUM & hominem *S. Tho.* 3. *p. q.* 22. *a.* 4. ideoque Sacerdotes dicuntur à Christo ad ministerium communis salutis electi. *c. Sæpe* 12. *q.* 2. & communes omnium Patres ac Magistri *c. quis. dist.* 96. Demum nomine

ne Magistratuum intelliguntur personæ publicæ in principali dignitate constitutæ, penes quas est ordinaria Jurisdictio & merum imperium, ut deducitur ex *l. Eum ff. de jurisd. om. Jud.* Pertinent hæ ad jus publicum, quia publicæ utilitati potissimum intendunt condendo leges, jura reddendo subditis &c. Hoc jus continetur *lib.* 1. *ff. & C.* præsertim vero tribus libris posterioribus Codicis & aliquot Novellis. Cum vero Jus veteri Rep. mutatâ magnam quoque subierit mutationem, adeunda est hoc tempore Aurea Bulla Caroli IV. Capitulationes ac Recessus Imperii, in quibus Lex Regia Germanorum continetur, ut ritè decidantur controversiæ de Imperatoris & Principum potestate.

Jus privatum est, quod ad singulorum hominum utilitatem principaliter spectat. *l.* 1. §. *hujus & seqq. de just. & jur.* Licet per accidens publicam etiam utilitatem respiciat, cum Reip. intersit locupletes habere subditos, & ne quis re sua male utatur. *Instit.* §. *fin. de his qui sunt sui vel alien. jur.* Tractat vero hoc jus de discrimine rerum & personarum, de contractibus, successionibus, Judiciis aliisq; similibus. Dicitur quoque jus Cæsareum, quia à Romanis Imperatoribus latum

latum obligat omnes eorundem imperio subjectos, imo & sæpè alias in Europa Provincias, quæ in defectum proprii seu municipalis juris libere illud receperunt, ut de Castella testatur Molina *tom. 2. de Iust. & jur. Disp. 540.* Continetur in corpore seu libris Imp. Justiniani prout capite sequenti videbimus.

CAPUT IV.

Quæ sint partes Juris Cæsarei.

Jus Cæsareum in quot partes dividatur. Quos libros contineant Digesta, Codex, Volumen, Institutiones, & quomodo citentur?

1.

IUs Cæsareum, quod partim à Romanis Imperatoribus institutum, partim eorum auctoritate collectum, & apptobatum est, in quatuor præcipuas partes dividitur, quæ sunt: *Digesta, Codex, Constitutiones, Novellæ & Instituta.* Prima ergo pars sunt.

Digesta, quæ Græci Pandectas vocant, id est, libros promiscua & multifaria continentes, tanquam omne rerum ac doctrinarum genus complexos. quam

inscriptionem inter illecebrosas, & magna promittentes numeravit Plinius, propter quas, ait, vadimonium deseri possit. His Pandectis septem & triginta Jurisconsulti symbolas contulerunt, ex quorum verbis & responsis Digestorum leges velut centones consarcinatæ sunt. *Bud. in Pandec.* Cum enim antiquorum Juris interpretum commentaria in eam molem excrevissent, ut Jus confusum esset fermè omni sui parte, ejusque doctrina non solum difficilis, sed ferè etiam infinita videretur, ut dicitur §. *cumque hoc DEO Proœm. & Instit.* jussu & auctoritate Justiniani Augusti sedecim Jurisconsulti triennio duo librorum millia in quinquaginta contraxerunt digesserunt, quorum viginti quatuor priores dicuntur *Digestum vetus*, quatuordecim sequentes vocantur *Infortiatum*, cujus vocis origo & significatio ignoratur; Reliqui duodecim appellantur *Digestum novum*; Hujus tamen distinctionis, uti & librorum ratio in legum allegatione nulla habetur; Citamus enim legem facilioris inventionis causa per ejusdem initium vel ordinem numeralem addito nomine *Digestis* vel *Pandectis* in ablativo & titulo in quo est

Lex

Lex hoc modo: *l. Si res mobilis Digestis de rei vindicatione* vel *l.* 10. *Digestis eodem.* Interdum additur §. Legis, quando Lex in paragraphos dividitur. Porro compendii causa Digesta latine notantur per simplex P. aut D. vel per geminum PP. aut DD Græci vero per ff Pandectas notabant, quod deinde scribendi celeritas & abusus pervertit in geminum ff.

Secunda pars Juris Cæsarei vocatur *Codex* continetq; duodecim libros (quorum tamen tres ultimi substrictiore significatione ad tertiam partem spectant) qui continent collectas jussu ejusdem Justiniani leges & Constitutiones Imperatorum, quæ prius tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano continebantur, additis etiam aliorum retro Principum Constitutionibus Novellis, sic dictis, quod post memoratos tres Codices vel ab ipso Theodosio, vel ab aliis postea Principibus de novo conditæ essent, quæ etiam *Authenticæ*, id est certæ fidei dicuntur. Citantur vero leges ex Codice hoc modo: *l. Possessiones C. de probationibus*, id est lege, cujus initium est possessiones, quæ habetur in Codice sub titulo de probationibus.

2. Tertia pars vocatur *Volumen* continetque inprimis tres ultimos libros Codicis. Præterea novem Collationes Novellarum seu Authenticarum Constitutionum, quæ post Codicem secundo (nam bis prodiit, sed prior editio non extat) à Justiniano editum & revisum (qui *Repetitæ prælectionis* dicitur. C. *de emendatione Codicis* §. *supradictis*, jamque in Scholis usurpatur) promulgatæ sunt, in quibus collationes sunt veluti distinctiones totidem librorum, ipsi vero tituli appellantur *Novellæ*. His deinde adjectæ sunt *Consuetudines feudales* ex moribus Longobardicis, & quibusdam Imperatorum præsertim Germanorum constitutionibus desumptæ. Vulgo duo libri feudales circumferuntur, sed optima est Cujatii editio in quinque libros distributa. Accesserunt quoque *Constitutiones Friderici* Imp. in favorem Ecclesiæ. Item *Extravagantes Henrici* sub duplici titulo comprehensæ: *Læsæ majestatis & Rebellionis*. Denique *de pace Constantiæ*, quæ irrita fuit inter Fridericum Imp. & Henricum ejus Filium, & quosdam populos Lombardiæ, Marchiæ, & Romandiolæ, ac Nobiles Alemaniæ. Allegantur autem pro di-

diversis partibus hoc modo: *l. fortissimis militibus. C. de militari veste lib.* 12. Item *Authent. vel Novel. de appellationibus* 23. *& Sancimus Coll.* 4.

Quartam denique partem Juris Cæsarei constituunt: *Quatuor libri Institutionum*, in quibus totum Jus Cæsareum quasi in compendium redactum est, & præcipuè traduntur ejus principua & elementa. Citantur vero hoc modo: *Instit. de rerum divisione §. Item si quis.*

CAPUT V.

Quid Jus Canonicum & ejus Excellentia.

Juris Canonici variæ appellationes. Definitio. Præstantia.

1.

Divisimus supra *Cap. 3. n. 3.* Jus humanum in sæculare & Ecclesiasticum. De juris sæcularis divisione ejusque partibus actum est duobus capitibus præcedentibus, nunc porro de Jure Ecclesiæ (qui est scopus nostter primarius) agendum erit, ac primo hoc capite disquirendum occurrit, quid sit Jus Ecclesiasticum, & quæ ejus præstantia.

Juris Ecclesiastici variæ sunt appellationes. I. Dicitur *Canonicum* à Græco Κάνων, id est, regula *c.* 1. *dist.* 3. quod normam rectè vivendi præbeat *c.* 2. *dist.* 3. II. *Pontificium*, ab ejus auctoribus. III. *Ecclesiasticũ* ab Ecclesia quam dirigit. IV. *Sacrum* à materia, quæ vel sacra est, vel ad finem sacrum dirigitur. V. *Divinum c.* 2. *de Priv. in* 6. non quod immediatè à DEO conditum sit, sed quia vel continet quædam excerpta ex Sacris literis, & in Conciliis repetita, vel quia Canones instinctu & dono Spiritus sancti dictati sunt. *Can.* 5. *can.* 25. *q.* 1. vel quia sunt conclusiones deductæ ex principiis legis Divinæ *c.* 24. *de accus.* vel denique quia ab eo conditum est, qui immediate ab ipso Christo ligandi potestatem accepit. *Matth.* 16. *v.* 19. ut colligitur ex *cap.* 3. *de Const.*

2. Definiri potest Jus Canonicum: *Regula recte vivendi à summis Pontificibus constituta vel approbata, qua fideles ad spirituale bonum diriguntur.* Dicitur I. *Regula* id est complexio Canonum, præceptorum & statutorum, quæ jus constituit. *Glos. v. aliorum in c.* 2. *dist.* 4. Dicitur 2. *Recte vivendi*, quia normam recte vivendi præbet, & di-

stor-

ſtortum pravumque corrigit. *Can. 2. diſt 4. junct. Gloſ. V. regula.* Dicitur 3. *à ſummis Pontificibus*, quia hi ſoli tanquam ſupremi Legislatores jus dicere in tota Eccleſia, & univerſales leges pro ea condere poſſunt. Dicitur 4. *Conſtituta*, id eſt, lata & legitimè promulgata per Decretales Epiſtolas, Reſcripta & Conſtitutiones. Dicitur 5. *Vel approbata*, quia ſunt quædam in jure Canonico deſumpta ex Decretis Conciliorum ſeu generalium ſeu Provincialium, ex placitis Principum ſæcularium, & ex ſententiis SS. Patrum, quibus niſi accedat auctoritas & approbatio Summi Pontificis vim Regulæ & Legis in tota Eccleſia non habent. Dicitur 6. *Quæ fideles*, quia qui extra Eccleſiam ſunt, regulariter huic regulæ & juri non ſubijciuntur; Hinc Apoſtolus 1. *ad Cor.* 5. *v.* 12. inquit: *Quid mihi de iis, qui foris ſunt judicare?* Ideoque Judæi & Pagani non ſunt coërcendi pœnis ſpiritualibus, licet corporalibus ſubjici poſſint, ſi quæ prohibita illis, aut in opprobrium Chriſtianæ Religionis faciant. *c.* 15. *de Judæis.* Dicitur 7. *Ad ſpirituale bonum*, hic finis eſt regulæ Eccleſiaſticæ ſeu Juris Canonici, quia præcipuè ſpectat, Juſtitiam & Religionem

in

in ordine ad DEUM & felicitatem ſupernaturalem.

3. Ex his colligitur Excellentia Juris Canonici, quodque præſtet in multis Juri civili ; Præſtat enim I. Origine, quia manat ab ipſo Chriſto, & à poteſtate merè ſpirituali Petro ejusque in Apoſtolica Sede Succeſſoribus immediatè à Chriſto communicata. II. Univerſalitate, quia obligat omnes Chriſti fideles totius mundi. *c.* 1. *de Conſt. c.* 4. *de Major. & obed.* Totus enim orbis terrarum ſubeſt Conditoribus hujus Juris, Chriſto nimirum ejusque in terra Vicariis. *c.* 16. 17. 18. 21. *cauſ.* 9. *q.* 3. III. Materia, remota ſunt perſonæ & res Sacræ ac ſpirituales, proxima actiones hominis Chriſtiani. IV. Fine qui eſt ſpiritualis, per ſe enim ſpectat proximè Juſtitiam Chriſtianam, remotè vitam æternam. At vero Jus civile promanat primò à poteſtate prorſus ſæculari à populo in Principes translata ; Sumpſit enim initium à legibus quibusdam curiatis & 12. Tabularum edictis Prætorum ac Conſtitutionibus Imperatorum. *l.* 2. *ff. de orig. jur.* 2. Obligat niſi unam tantum Provinciam, Nationem aut Regnum. 3. Materia eſt profana, quia profanæ ſunt res, perſonæ & actiones circa quas verſatur.

4. Fi-

4. Finis illius est temporalis, qui spectat solum Justitiam legalem, qnietem Reip. temporalem, & felicitatem naturalem. Accedit, quod principia & regulas quasdam à Jure civili factas Canones Ecclesiæ vel corrigant, vel non admittant; Ut sunt. I. Quæ rebus vel personis officiunt. *c. fin. de immun. Eccl. in 6. c. 1. de Jure ju. in 6. & c. 1. de consuet.* II. Quæ statuunt aliquid ex se de personis aut rebus Ecclesiæ, licet id Ecclesiarum commodum & favorem respiciat. *c. 10. de Const.* III. Quæ decernunt aliquid in materia meræ spirituali, ut est Sacramentorum, voti, juramenti &c. *c. 10. & 11. dist. 96.* IV. Quæ sunt bonis moribus adversantia, & absque peccato exequi non licet v. g. Licitum esse concubinatum, usuram, malæ fidei præscriptionem. Hæc aliaque similia, licet jus civile permittat, meritò tamen Canones abominantur; Cum enim leges civiles præcipuè intendant vitæ civilis commoditatem, civium pacem & litium detestationem, ideo multa sæpè permittunt aut etiam præscribunt, quæ quidem ad cives populosque tuendos faciunt, à sincera tamen ratione aliena sunt. At verò cum Jus Canonicum præter Justitiam puritatem quoque conscientiæ intendat, non permittit, ut vel in minimo à rationis præscripto discedatur. 4.

4. Quamvis autem tanta sit præstantia Juris Canonici, admittit tamen Principum sæcularium Constitutiones, non tantum, ut ancillentur. *Jo. Andr. de nov. oper. nunciat. n.* 2. Sed etiam ut Sanctiones Canonicæ Juris civilis subtilitate decorentur. *Bald in Proœ. Decret.* Plurimum namque Jus Sacrum Constitutionibus Principum adjuvatur. *c.* 1. *de nov. oper. nunci. c.* 7. *Dist.* 10. Imo multa Pontificum decreta ex legibus civilibus penè ad verbum desumpta sunt, ideoque leges civiles in foro etiam Ecclesiastico recipiuntur *c.* 70. *cau.* 11. *q.* 3. atque etiam in conscientia obligant secundum communem Doctorum Sententiam. *Laym. l.* 1. *Tract.* 4. *c.* 8. *n.* 9. Si justæ sint, nec Sacræ Scripturæ, Canonibus & bonis moribus repugnantes. Quamobrem licet Religiosi professi ad audiendas leges, vel medicinam, nisi intra duos menses ad Claustrum redeant, excommunicati sunt. *c.* 3. *&* 10. *ne Cleric. vel Mon.* ne nimirum cum distractione vitæ Ecclesiasticæ involvant se iterũ actionibus mundanis: *Omnimoda enim est illius officii, & istius habitus diversitas; illic enim quies, oratio, labor manuum; at hic causarum cognitio, conventiones, actus, publi-*

publica litigia, & quæcunque vel Ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit, inquit Pelagius Papa, & habetur *c.* 1. *de præsentium* 16. *q.* 1. Attamen communis est Canonistarum Sententia, non prohiberi Religiosis, & Clericis studium Juris civilis privatim intra Claustrum, sed laudabile esse diligentem illi operam navare ad sacros Canones recte intelligendos docendosque, & occurrentes conscientiæ Casus dissolvendos *Laym. l. c.* Ideoque Petrus Diaconus electus Episcopus passus est à B. Gregorio repulsam propter ignorantiam rerum civilium & secularium. *Menoch. de arbitr. casu* 425. *n.* 24. Atque ipsa sacra Congregatio Concilii respondit deberi Clericis fructus Ecclesiæ qui Juri Civili studuerint, dummodo illi operam dederint, causa addiscendi postea Jus Canonicum *Fagn. c. ult. de Cler. vel Mon. n.* 33.

Quinimo Jus Canonicum tam privatim quam publicè docere & addiscere posse Religiosos tradunt communiter DD. ad *cap super specula, ne Cler. vel Mon. & c.* 1. *eod. in* 6. etiam quoad eam partem quæ foro contentioso deservit; Quamvis Svaz *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *l.* 5. C. 4. *n.* 4. existimet eam à Religiosis qui à strepitu forensi arcendi sunt, alienam esse.

Verum

Verum Clericis & Religiosis non solum scire convenit, quæ per ipsos agenda sunt, sed in quibus etiam alios, qui causas forenses tractant, qua verbis, qua scriptis dirigere, & in sacro tribunali de eorum actis recte judicare possint. Præterquam quod multi Ordines Regulares jurisdictionem quoque habeant in foro externo, quam sine notitia Canonum, eorum vel maximè qui concernunt forum contentiosum, non æque bene exercere possunt. *Passer. de stat. & off. hom. q.* 187. *n.* 1135. Notat tamen Engel *in Proœm. de Jur. Can. n.* 19. ad majorem cautelam solere Universitate à S. Pontifice privilegium petere admittendi Clericos ad publicas legum Civilium lectiones, quale concessum esse ait Universitati Salisburgensi.

CAPUT VI.

Differentiæ Juris Canonici & Civilis, quæ Libro primo Decretalium occurrunt.

CUm Jus Canonicum, ut vidimus capite præcedente diversum principium, aliam materiam aliumque finem sibi prestitutum habeat, quam Jus civile, permultæ utriusque

Juris

Juris differentiæ oriuntur, quas nonnulli auctores non inutili labore congesserunt, & commentariis suis explicarunt, è quibus nos magis notatu dignas secundum ordinem Librorum & Titulorum Decretalium proponandas hic duximus, ut Juris utriusque Studiosi uno quasi obtutu videant, in quibus Jus Civile correctum sit à Canonico, & quæ leges Civiles è foro Ecclesiastico eliminentur.

Tit. III.

1. Rescriptum Papæ seu Principis non extendit se ultra unam Diætam. *c.* 11. *de Rescrip. in* 6. Quod nulla lege Imperiali præscriptum reperitur. *Barb. in cit. c.* 11.

2. Inquovis rescripto Papæ ad instantiam impetrantis concessio sub intelligi debet, licet non exprimatur, clausula: *Si preces veritate nitantur. c.* 2. *de Rescript.* Hæc vero jure civili expresse apponenda est. *l. fin. C. de diver. rescrip.*

3. Rescriptum Papæ quod manifestum in constructione errorem continet, invalidum est Jure Canonico *c.* 11. *de Rescript.* Non vero Rescriptum Imperatoris juxta Jus Civile. *Bapt. à S. Blasio. n.* 700.

Tit. IV.

4. Per Jus civile Consuetudini absoluta

soluta tribuitur potentia abrogandi legem §. *penult. Inst. de jur. nat. & l. de quibus* 33. *in fin. ff. de leg.* Etiam generalem, si Consuetudo generalis sit, specialem vero, si sit specialis *Glos. in cit. §. penult. l. venditor ff. communia prædiorum*; non tamen divinam & naturalem §. *Sed naturalia Instit. de jur. nat.* Jure verò Canonico tribuitur vis mutandi & abrogandi leges positivas consuetudini solum rationabili & legitimè præscriptæ. *c. fin. de Consued.*

Tit. VI.

5. Jure civili Eligentes Abbatem jurare debent se electuros, quem sciunt idoneum. *Auth de sanctis. Episc. c.* 34. §. *Jubemus igitur.* Jure vero Canonico hoc juramentum non requiritur sed alia triplex forma præscribitur. *c* 42. *de Elect.*

Tit. VIII.

6. Juxta Canones Archi-Episcopus cum Pallio sepeliendus est. *c. 2. de auct, & usu pallii.* Ne alii illo abutantur. At jure civili nulla sunt ornamenta cum corporibus sepulchro inferenda. *l. Si quis* §. *non autem ff. de Relig. & sump. fun.* ne furibus detur ansa sepulchra spoliandi, vel videantur cum infidelibus credere mortuos victu, vestitu aliave re materiali indigere. *Auban. de mor. gent. l.* 2. *c.* 10. *de Tartaris.*

Tit.

Tit. XIV.

7. Jure civili ordo sacer præter dignitatem Episcopalem non liberat à patria potestate quo ad temporalia. *Auth. Episcopalis C. de Episc. & Cler.* Jure vero Canonico quilibet ordo sacer liberat. *c. 3. de ætat. & qualit.* De Episcopali dignitate constat ex *cap.* 20. *dist.* 54. Et cum dignitas patritiatus solvat jus patriæ potestatis, multo magis id faciet Sacerdotium & quilibet ordo sacer. *Glos. in cit. c. 3. v. qui seipsos.*

8. Jure civili olim permittebatur consuetudo accipiendi certam pecuniæ summam pro collatione sacrorum Ordinum *Auth. de Sanctis. Epis. c. 3. Si quis autem.* At jure Canonico nec Episcopo, nec Tabellioni quicquam accipere licet. *c. 4. cau. 1. q. 2. Trid. Sess. 21. c. 1. de reform.*

Tit. XVI.

9. Jure civili Rebaptizans & Rebaptizatus, si tamen piacularis criminis capax sit capite plectitur. *l. 2. C. Ne Sanct. Bapt. iter.* Secundum Canones vero pœna Rebaptizantis scienter, vel per ignorantiam juris, est irregularitas; Si autem per ignorantiam facti Rebaptizarit excusari potest. Rebaptizatus vero licet ignoraverit se Baptizatum fit irregularis; nec promoveri potest. *c. Qui bis*

de

de Conſ. diſt. 4. *n.* 1. Si magna neceſſitas cogat; Si vero ſciverit ſe baptizatum, & ex vitio aliquo Rebaptizetur, per ſeptem annos pœniteat, quarta & ſexta feria & tres quadrageſimas jejunet; Si autem putaverit ſe magis mundari tribus annis pœniteat. *In c. Eos de conſecr. diſt.* 4. præcipitur, ut ex induſtria Rebaptizati uſque ad finem vitæ in pœnitentia jaceant, nec orationi fidelium interſint, *Sylveſter V. irregularitas.*

Tit. XVII.

10. Jure Canonico nati ex damnato coitu non poſſunt eligi ad Prælationes aut Dignitates. *c.* 1. *de fil. Presb.* Poſſunt vero jure civili. *l. Spurii ff. de Decur. l. generaliter §. Spurios quoque eod.*

Tit. XVIII.

11. Jure Canonico ſervus non tenetur præferre charitatem erga Dominum ſuum charitati propriæ *c. Humanum Diſt.* 1. Secus eſt jure civili. *l.* 1. *ff. ad S. C. Silanianum.* Hæc vero diſſonantia tollitur, ſi intelligantur hæc de debito gratitudinis erga Dominum, vel obligatione ſpontanea.

12. Jure Canonico in libertis Eccleſiæ multa ſpecialia ſervantur. *c. de famulis Eccl. de Servis non ordin.* Quæ in jure civili non reperiuntur. *l.* 38. *ff. de oper. libert.*

Tit.

Tit. XXIX.

13. Jure Canonico delegari possunt, quæ sunt meri & mixti Imperii *c. Quod sedem de offic. Jud. Ordin. c. In Archi-Episcopatu de Raptoribus.* Non vero jure civili. *l. 1. de offic. ejus cui mand. est jurisd. l. Imperium ff. de Jurisd. omn. Jud.*

14. Secundum leges per solam litis contestationem perpetuatur Jurisdictio Delegati *l. & quia ff. de jur. omn. Jud.* Secundum Canones sufficit citatio, vel rescriptum. *c. Gratum de offic. Deleg. c. Licet eod.*

15. Jure Canonico licet prorogari possit Jurisdictio Judicis ordinarii de persona in personam, non vero Jurisdictio Delegati. *c. P. & G. de offic. Deleg.* Jure civili vero etiam Judicis Delegati jurisdictio prorogari potest. *l. 1. & 2. ff. de Judicis.*

16. Jure Canonico causa civilis etiam ardua, ut est trecentorum aureorum delegari potest absque alia justa causa dummodo Judex non qnærat exonerare se malitiosè. *c. Pastoralis de offic. Delegati.* Quod fieri non potest jure civili. *l. Placet etiam Judic. C. de pedaneis Jud.*

17. Delegatio Jure civili etiam privato committi potest. *l. unic. Qui pro Jurisd. l. Prætor ff. de Jurisd.* Id vero non so-

let Jure Canonico. *c. Statutum de Rescrip. in 6.* Puta si delegatio fiat à Papa, vel ipsius Legato; Nam Episcopus delegare potest simplicem Clericum sibi subjectum. *Alex. in Rubr. de offic. ejus cui mand. est Jurisd.*

18. Jure Canonico Judex appellationis potest delegare causam appellationis retenta sibi prælatione sententiæ. *c. super quæstionem 27. de offic. Deleg.* Non vero Jure civili. *Auth. Ad hæc C. de Iudic.*

19. Secundum Canones Judex ordinarius cuique committere potest audientiam cansarum. *c. Pastoralis 28. de offic. Deleg.* Secundum leges vero tantum Consiliariis suis seu Assessoribus Judicii. *Auth. Ad hæc C. de jud. §. Cætera licet.*

20. Jure Canonico potest quis alteri delegare, quod non potest per se exercere. *c. Clerici Ne Cler. vel Monach. c. Sententiam eod.* Secus jure civili. *l. 1. §. Qui mandatum ff. de offic. ejus cui mand. est jurisd.*

21. Jure civili Delegatus non exequitur sententiam suam *l. A divo ff. de re jud.* intellige de Delegato non ab ipso Principe, sed ab inferiore. *l. properandam §. Sin autem junct. Glos. C. de Judiciis.* Nec potest quempiam in possessionem mittere. Jure vero Canonico hæc fieri possunt. *c. Suspicionis de offic. Deleg. c. Si quis de for. Comp.*

22. Jure

22. Jure civili quando causam alicui Delegatus committit, ad eum est appellandum. *l. un. C. qui pro sua jurisd.* At Jure Canonico id non fit, quando tota causa committitur alteri à Delegato. *c. Super quæstionum de offic. Deleg.*

Tit. XXXI.

23. Jure Canonico Episcopus in omni loco Diœcesis judicia exercere potest. *c. Cum Episcopus de offic. Ord. in 6.* At Jure civili Judex ordinarius id potest solum in loco majorum suorum. *l. pen. ff. de just. & jur.*

24. Jure civili Legati seu Præsides Principum, cum mittuntur ad Provincias, vivere debent de rebus Fisci vel Imperatoris. *Auth. ut nulli judicum.* Jure Canonico vero missi à Papa suscipi & ali debent à Provinciis ad quas mittuntur; Nam procuratio illis debetur. *c. Accedentes de præscript. c. Super eo de Cens. Trid. Sess. 24. c. 3. de Reform.*

Tit. XXXV.

25. Jure Canonico pactum nudum obligationem & actionem parit. *c. 1. & 2. de pact.* Non vero Jure civili. *l. Iuris gentium ff. de pact. l. Legem C. eod.*

26. Jure Canonico alter alteri stipulari potest. *c. Quoties oculus cordis. 1. q. 7. & arg. c. juramenti 22. q. 4.* Non vero Jure

civili saltem regulariter *l. Stipulatio ita §. alteri ff. de verb. oblig. & Instit. de inutil. stipul. §. Si quis alii.*

27. In Jure Canonico non habet locum pœnitentia in contractibus innominatis. *Gios. in c. Cum inter de Elect. c. 1. & 3. de pact.* Habet tamen Jure civili. *l. Si pecuniam de condict. causa data.*

28. Jure Canonico valet pactum juratum de non succedendo in hæreditate recipientis pactum. *c. 2. de pact in 6.* Secus jure civili *l. pactum C. de Collatio.*

Tit. XXXVI.

29. Jure civili permittitur transigere de criminibus inferentibus pœnam sanguinis, excepto adulterio; De aliis non licet transigere excepto crimine falsi. *l. transigere c. de Transact.* Sed Jure Canonico non licet in causa Spirituali desistere. *c. fin. de rescript. & c. fin. 2. q. 3. §. in omnibus.* Nec de ulla re spirituali vel illi annexis interveniente aliquo temporali transigere licet. *c. præterea c. Constitutus. c. Super eo. c. fin. de transact.*

Tit. XXXVIII.

30. Jure Canonico Prælatus Ecclesiasticus potest Procuratorem constituere in causa Ecclesiæ suæ etiam ante litis contestationem *c. Petitio de Procur.* Jure civili non potest, nisi post litem contestatam

statam ad instar Tutoris vel Curatoris. *l. Neque Tutores C. eod. c. Edoceri de Rescrip.*

31. Jure Canonico mulier esse potest Procuratrix. *c. Cum dilectæ de conf. utili vel inut.* Jure civili non potest. *l. cum Prætor ff. de Judic.*

32. Jure Canonico infamis esse non potest Procurator. *c. Imperatorum de juram. calum.* Jure civili poreſt §. *ult. Inst. de except.*

Tit. XLI.

33. Jure Canonico Ecclesia contra præscriptionem non restituitur. *c. Auditis de in integ. restit.* At Jure civili restituitur intra quadriennium à tempore completæ præscriptionis. *l. fin. C. de Sacros. Eccl.*

34. Jure Canonico Ecclesia in integrum restitui potest, etiam in præjudicium Laici: Idque coram Judice Ecclesiastico. *c. Causa restitutionis de in integ restit.* Jure civili autem semper adeundus est Judex illius, de cujus præjudicio agitur, etiamsi Ecclesia sit, quæ restitutionem petit. *l. 2. C. ubi & apud quem cogn: in int.*

35. Jure Canonico Ecclesia petere potest etiam post quadriennium in integrum restitutionem pro damno. *Glos. in c. 1. de rest. in intg.* Jure civili autem non

reperitur concedi ultra quadriennium. *l. fin. C. de temp. in integ. reſt. petend.*

36. Jure Canonico in petenda reſtitutione in integrum per Procuratorem ſufficit mandatum ſpeciale, nec requiritur ſpecialiſſimum. *c. Coram de reſtit. in integ.* Jure civili autem requiritur ſpecialiſſimum, nimirum in tali cauſa contra talem DD. *in l. un. C. Etiam per Proc. cauſ. in integ.*

Tit. XLII.

37. Omnis ceſſio per Clericum in laico judicio Jure Canonico præſumitur ſimulata. *c. Ex parte de alien. Jud. mut. cauſa facta.* Secus eſt Jure civili, niſi aliter probetur de fraude vel ſimulatione. *l. per diverſas. l. Ab Anaſtaſio. C. Mandati.*

38. Jure Canonico ſingularis Succeſſor, in quem facta eſt alienatio judicii mutandi cauſa convéniri poteſt coram Delegato ex reſcripto impetrato contra alienantem tantum conſcio & participe fraudis, Succeſſore. *c. 1. de alien. Jud. mut cauſ.* At jure civili talis Succeſſor coram ſuo tantum Judice, & non coram Delegato conveniri poteſt. *l. 1. C. eod.*

Tit. XLIII.

39. Jure Canonico permiſſum eſt cum juramento compromittere. *c. Cum tem-*

tempore c. Ex parte de Arbit. Non vero jure civili. Auth. Decernit jus novum, C. de Recep. Arbit.

40. Jure Canonico valet compromissum in Judicem ut Arbitrum à partibus electum. c. Cum tempore de Arbit. Secus jure civili. l. Sed si in servum §. Si quis Judex ff. de Rec. Arbit.

41. Jure Canonico fœmina potest esse arbitra, c. Dilecti filii. De arbit. Non vero jure civili. l. Pedius 7. ff. de Rec. Arbit. l. fin. C. eod.

42. Jure civili arbiter, qui cognovit de causa suspicionis illa probata cognoscit etiam de principali. l. fin. C. de Jud. Non ita jure Canonico: c. Suspicionis de offic. Jud. deleg. c. Cum dilectus de Arbit.

43. Jure Canonico ex tribus arbitris uno absente requisito, alii duo procedunt, & valet sententia eorum. c. fin. de arbit. in 6. Secus jure civili. l. 17. §. Celsus ff. de Rec. arbit.

44. Jure Canonico sententia arbitri indistinctè per partes approbari potest & debet. c. Per tuas 9. de Arb. Jure civili tantum quando compromissum fuit stipulatione confirmatum cum pœna adjecta. l. 2. ff. de Rec. arbit. l. Cum antea C. eodem.

CA-

CAPUT VII.

Differentiæ in Libro secundo Decretalium occurrentes.

Tit. I.

1.

IUre civili non delegantur, quæ causæ cognitionem & decreti positionem desiderant, quæque Judicis officio expediuntur. *l. Nec quicquam §. ubi decretum ff. de offic. Procons.* Secus Jure Canonico. *c. Ad hæc de offic. Archi. c. Episcopum. 10. q. 1.*

2. Jus civile permittit Judici sæculari cognoscere causam Clerico & Laico communem. *l. omnes qui ubique cum Auth. subj. C. de Episc. & Cler.* Quod Jus Canonicum non permittit. *c. At si Clerici de Jud. & tot. Tit. de for. compet.*

3. Jure Canonico inquisitio est remedium ordinarium. *Abb. in rub. de Judic.* Jure civili est extraordinarium. *Bald. in l. 2. & l. Si maritus ff. de ad ult.*

4. Jure Canonico nec directè nec incidenter cognoscere potest Judex sæcularis de re spirituali. *c. Tuam de ord. cogn. c. Causam. c. Lator qui filii sint legi.* Jure civili potest incidenter. *l. quoties. C. de judic. l. Adite Præsidem C. de ordi. judi.*

5. Jus civile permittit, ut Judicis Ec-

Ecclesiastici negligentiam in causis spiritualibus suppleat Judex Laicus. *Auth. ut Cler. apud propr. Jud.* Id vero non tolerat Jus Canonicum. *c. Qualiter & quando de Judic.*

6. Jure civili eligenda est una actio, quoties plures ex eodem delicto concurrunt. *l. Senatus ff. de accus. l. Qui servum alienum ff. de oblig. & act. l. Nemo §. quoties ff. de reg. jur.* Secus jure Canonico. *Abbas in. c. 2. Constitutus n. 2. & seq. De in integ. restit.*

7. Secundum leges potest Judex Laicus alium Judicem Laicum substituere in causa civili. *l. 1. & 2. de Jud.* Quod Canones non permittunt Clericis. *c. Si diligenti de fore compet.*

8. Jure civili Pater & Filius in Patria potestate constitutus lite contendere non possunt. *l. Lis nulla ff. de jud.* Jure vero Canonico non videtur id prohibitum. *c. Qualis condemnatio 2. q. 7.*

9. Jure civili filius familias in nulla causa regulariter esse potest in judicio absque consensu Patris *l. 1. C. de bon. mater. l. cum non solum §. necessitatem C. de bonis quæ liberis.* Jure Canonico autem cum agitur de spiritualibus, etiam minor viginti quinque annis absque consensu Patris in judicio esse potest. *c. Si annum de Jud. in 6.*

10. Jure

10. Jure Canonico non est necesse in libello exprimere nomen actionis. *c. Dilecti de Jud.* Secus jure civili *l.* 1. *ff. de edendo, l. Edita* C. *eod.*

11. Jure civili, qui plures actiones in libello habet, unam eligere debet. *l. Non est novum ff. de act. empt.* Jure Canonico autem plures simul exhibere potest. *c. Querelam de Elect. c. Dilectus de Capell. Monach.*

12. Jure civili offerens se liti condemnatur, ac si possideret rem, quæ petitur *l. Is qui se obtulit* 25. *ff. de rei vind.* Secus jure canonico. *c. Ecclesia S. Mariæ* 3. *ut lite pendente.*

13. Jure civili non valet citatio, nisi assignetur terminus *l.* 2. *ff. Si quis in jus vocatus non jerit.* Jure Canonico vero aliquando valet. *c. Cum apparati de appell.*

14. Jure Canonico instantia judicii in causa principali non perit triennio vel biennio. *c. Venerabilis de jud.* Secus jure civili. *l. Properandum* C. *de Iud. l.* 1. C. *Ut inter certum tempus causa.*

15. Jure Canonico multa per denuntiationem Evangelicam expediuntur, quæ secundum leges omni remedio destituta sunt. *c. Novit de Iud. c. Si peccaverit* 2. *q.* 1.

Tit.

Tit. II.

16. Jus Canonicum indistinctè aufert Laicis potestatem de personis & rebus Ecclesiasticis disponendi; Contra Jus civile *Cod. te Sacros Eccl.*

17. Jurisdictio secundum leges civiles de persona in personam prorogari potest. *l. 1. ff. de jud.* Secundum Canones vero non prorogatur. *c. Significasti de foro competenti.*

18. Jure civili cuilibet licitum est pro defensione rerum suarum occidere alium, si aliter rem suam defendere non possit. *l. 4. ff. ad leg. aquil. l. Furem nocturn. ff. ad l. Cornel. de Sicariis.* At jure Canonico Clericis id prohibetur. *c. Suscepimus de homic. & ibi Glos.*

19. Jure Canonico conveniri possunt malefactores, raptores, & invasores rerum Ecclesiæ tanquam Sacrilegi coram Judice Ecclesiastico. *c. Cum sit de for. cop.* At jure civili actor forum rei sequitur. *l. Juris ordinem.* C. *De jurisd. om. Jud. & l. seq. Nisi forte in eo casu. Auth. nulla commun. C. de Episc. & Cler.*

20. Jure civili qui contractum iniit à Judice civili illius loci, si ibi invenitur, citari potest, si autem non inveniatur mulctari, & omni remedio prætorio compelli, ut veniat. *l. Hæres absens*

ff. de

ff. de Iudiciis. At jure Canonico Judex loci contractus solum pronunciare potest; Si alibi reus existat, eo mittendus est. *c. Dilecti. c. Licet de for. compet.*

21. Jure civili delinquens sortitur forum loci, in quo deliquit non obstante aliquo privilegio. *Auth. Quia in Provincia c. Ubi de crim. agere oport.* At Jure Canonico minor sortitur quidem forum delicti, sed major, ut Archi-Episcopus in gravioribus à solo Papa judicatur. *c. 1. de Raptor.*

22. Qui pacem Religionis turbant in judicio politico seu seculari conveniri & puniri possunt secundum Ordinationem Imperii. *In comit. Auguſt.* Secus Jure Canonico *tot. Tit. de for. compet.*

Tit. V.

23. Ille, qui vocatur ad judicium Jure civili viginti dierum gaudet induciis, quibus deliberet, cedatnè an litiget. *Auth. offeratur c. de litis conſtet.* At jure Canonico arbitrariæ sunt induciæ deliberatoriæ. *c. Dilectus de Procur.*

Tit. VI.

24. Jure civili non potest procedi ad sententiam definitivam lite non contestata, nisi in causa appellationis *l. ult. §. illud c. de temp. appell.* At jure Canonico causæ matrimoniales de conservando ma-

matrimonio, & causæ electionum absq; litis contestatione tractantur. *c. 1. & c. Quoniam, ut lit. non contest.*

Tit. VII.

25. Jure civili Abbas in causa Monasterii jurat de calumnia in animam suam *l. 2. §. quod observari* C. *de jura propt. calum.* Jure Canonico autem jurare debet in animam majoris partis Conventus. *c. Præsentium de Testib. in 6. c. In pertractandis de juram. calum.*

26. Jure Canonico in Spiritualibus causis non juratur de calumnia, sed de veritate dicenda. *c. Literas de juram. calum.* Jure civili autem in omnibus causis etiam Spiritualibus de calumnia juratur. *l. 1. C. de jurej. propt. calum.*

27. Præter juramentum veritatis & calumniæ reperitur etiam Jure Canonico juramentum malitiæ. *c. 1. & 2. de juram. calum. in 6.* Quod non reperitur jure civili *toto Tit. ff. & C. de jurej. & juram. calum.*

28. Alienatio fundi dotalis aut donatio propter nuptias cum juramento per Uxorem vel maritum facta, Jure Canonico valet. *c. Cum contingat de jurejur. c. Licet mulieres eod. in 6.* Secus jure civili. *l. Non dubium C. de legib.*

29. Dif-

29. Difficultas jurantis, & majora negotia jure Canonico excusant à reatu perjurii. *c. B. Paulus. 22. q. 2. c. Brevi de jurej.* Secus de jure civili. *l. 2. c. de reb. creditis & jurejur.*

30. Jure Canonico perjurus in judicio infamis est, & à testimonio ferendo excluditur. *c. Quicumque 6. q. 1. c. Parvuli 22. q. 5.* Jure civili solum DEUM habet ultorem, nec punitur in hoc sæculo. *l. 2. C. de reb. creditis & jurejur.*

Tit. XII.

31. Jure Canonico Judex simul de possessorio & petitorio cognoscit & pronunciat. *c. 2. de caus. poss. propriet.* Jure civili autem prius de possessorio, quam proprietate agendum est. *l. Ordinarii C. de rei vind. l. Incerti C. de interd.*

Tit. XIII.

32. Jure civili bona, quæ nullius sunt, cedunt occupanti. *Instit. de rer. divis. §. feræ igitur bestiæ §. Item lapilli.* At jure Canonico in locis ab hoste occupatis, vel nemini attributis, non licet Diœcesin, vel jus Parochiæ constituere absque consensu Papæ. *c. Cum causam de Testib.*

33. Jure civili non datur remedium recuperandæ possessionis, nisi adversus dejectorem, & qui vel mandavit, vel

vel ratam habuit dejectionem. *l. cum ad teff. devi & deviarm. & l. Si vi eod.* At jure Canonico latius patet adversus quemcunque ad quem res illicitè pervenit. *c. Cum dilectus, de ord. cogn. c. Sæpe, de restit. Spol. & c. Redintegranda 3. q. 1.*

34. Jure Canonico Spoliato possessione Ecclesiæ vel Beneficii non obest in petenda restitutione exceptio tituli non legitimi. *c. In literis, de restit. Spol.* Secus jure civili. *l. 2. §. quædam ff. de interd. sive extrac. actio.*

25. Jure civili rigor locum habet. *l. Si quis. C. Unde vi.* Jure Canonico vero æquitas. *c. Ad hæc. De dolo & contum.*

36. Qui proponit exceptionem peremptoriam post fundatam intentionem Actoris, & in probatione illius deficit jure Canonico condemnatur Actori in expensas. *c. Finem litibus. De dolo & contum.* At jure civili condemnatio talis non fit, nisi in fine causæ, ubi victus victori in expensas condemnatur. *l. Properandum §. Sin autem C. de Judic.*

Tit. XV.

37. Missus in possessionem in actione reali jure civili statim fit possessor. *l. Si quis emptionis §. Sed & si quis C. de præscript. 30. vel 40. an.* At jure Canonico est custos tantum rei, & non verus possessor,

sessor, nisi post lapsum anni. *c.* 1. *de eo qui mittitur in possess. c. fin. de offic. Iud. ord in 6.*

38. Jure Canonico propter absentiam rei, & aliis quibusdam casibus fit sequestratio. *c. Ex literis, de dolo & contum. c. Dilectus de sequest. possess. & fruct.* Secus jure civili. *l. un. C. de prob. sequest.*

Tit. XVIII.

39. Jure Canonico admittitur positio negativa, quæ probari non potest, si Judici æquum videatur. *c. Statuimus de Confessis in 6. l. Actor. C. de probat.* At jure civili illa tantum quæ probabilia sunt, poni debent. *l. 2. §. Quod observari. C. de juram. calum.*

Tit. XX.

40. Jure civili unus testis, nullus testis. *l. Jurisj. C. de Test.* At jure Canonico aliquando creditur dicto unius testis. *c. Parvulos, de Consec. dist. 4. c. Nemo de simonia.*

41. Jure Canonico testes non absolutè cogendi, sed monendi sunt ad testimonium perhibendum. *c. Super eo, de test. cog. c. Ex parte de test. & attest.* Jure civili vero coguntur. *l. Si quando. l. Quoniam C. de Test.*

42. Jure Canonico senes & valetudinarii compelluntur testimonium ferre propter peccatum. *c. Si qui Testium, de Test.*

Secus

Secus est jure civili. *c. Si testes, 4. q. 2. & 3. l. 8. ff. de Test.*

43. Jure Canonico criminosi à testificando repelluntur, sive damnati sint, sive non, dummodo probetur crimen. *c. Super eo de Test. cog. c. Testimonium de Test. & attest.* At jure civili non repelluntur nisi damnati sint de crimine. *l. Athletas. §. Calumniator ff. his qui notant. inf.*

44. Jure Canonico mulier in causis criminalibus regulariter testis esse non potest. *c. Mulierem 33. q. 5. c. Forus §. fin. de verb. signif.* Secus jure civili. *l. Ex eo ff. de Test.*

45. Jure civili parentes & liberi adversum se nec volentes ad testimonium admittendi sunt. *l. Parentes. C. de Test.* Secus jure Canonico. *c. Si testes, 4. q. 3.*

46. Jure Canonico etiam in causis criminalibus criminaliter intentatis potest alteri committi examinatio testium, sicut in civilibus. *c. Si qui testium. 8. de Test. c. Quoniam, de probat.* Secus jure civili. *l. Judices & Auth. apud eloquentissimum C. de fid. instru.*

Tit. XXIV.

43. Jure Canonico non licet jurare per quaslibet creaturas, præterquam per membra DEI, *c. Si quis per capillum. 22. q. 1. l. Qui per salutem ff. de jure jur.*

48. Jure Canonico in criminalibus non defertur juramentum suppletorium probationis, sed reus actore plene non probante absolvitur. *c. Tam literis, de test.* Jure civili defertur tale juramentum in criminalibus. *l. Bonæ fidei. l. 3. ff. de jurejur.*

Tit. XXV.

49. Jure Canonico exceptio dilatoria excommunicationis in quacunque judicii parte opponi potest. *c. 12. de Except. c. Pia eod. in 6.* At jure civili non licet ullam exceptionem post litem contestetam proponere. *l. fin.* C. *de consortibus.*

XXVI.

50. Jure civili malæ fidei possessor, postquam præscripsit, possidet. *l. Sicut in rem* C *de præscr. 30. an. l. omnes eod.* At jure Canonico mala fides possessionem impedit, & præscriptionem. *c. fin. de præscript. c. Ius dictum, de verb. signif.*

51. Jure Canonico longa & longissima præscriptio non differunt, differunt tamen jure civili. *c. Dudum 31. de Dec. c. 1. de præsc. in 6. Auth. malæ fidei* C *de præsc. longi temp.*

52. Jure civili Titulus & bona fides in præscriptione annorum 30. vel 40. non requiruntur. *l. Sicut in rem* C. *de præscr. 30. vel 40. an. & l. Omnes eodem.* At jure Canonico bona fides requiritur. *c. Si diligenti de præscript. & fin. eod.*

53. Ju-

53. Jure civili ad præscribendum bona fides ab initio tantum requiritur. *l. un. C. de usucap. transform.* At jure Canonico bona fides continuo est necessaria. *c. Quoniam omne c. Vigilanti. c. Si diligenti. c. Veniens de præscrip.*

54. Interrupta semel per litis contestationem præscriptione, jure Canonico non procedit nova præscriptio. *c. fin. de præscrip. & R. Possessor malæ fid. de reg. jur. in. 6.* Secus est jure civili. *l. fin. C. de præscr. 30. vel 40. an.*

55. Lex 3. data à Zenone C. de quadrien. præscr. jure civili locum habet etiam in rebus Ecclesiasticis; Non vero jure Canonico. *c. Expedit. & c. Videntes 12. q. 1.*

56. Jure Canonico præscribenti cum bona fide datur exceptio & actio. *Andre. in reg. possess.* Jure civili etiam malæ fidei possessori exceptio permittitur, & insuper actio contra furem aut violentum possessorem. *l. Si quis emptionis §. Sed hæc C. de præsc. 30. vel 40. an.*

57. Jure Canonico non currit præscriptio tempore Prælati malè alienantis. *c. Si Sacerdotes 16. q. 3.* At jure civili statim currit præscriptio post alienationem. *Auth. Quas actiones. C. de Sacros. Eccl.*

58. Omnia jura habentia causam continuam vel discontinuam jure Cano-

nico contra Eccleſiam præſcribuntur ſpatio 40. annorum. *c. De quarta. c. Vigilanti de præſcript.* At jure civili in juribus non habentibus cauſam continuam, vel quaſi, requiritur tempus cujus initii non extat memoria. *l. 2. ff. de aqua pluv. c. 1. de præſcr. in 6.*

59. Jure civili crimina ſeu actiones criminales viginti annorum ſpatio præſcribuntur. *l. Querela. C. ad leg. Corn. de falſ.* Secus jure Canonico. *Abbas in c. Licet cauſam de prob.*

60. Poſtliminio reverſis jure civili datur reſciſſoria intra quadriennium. *Inſtit. de actio §. Rurſus.* Jure Canonico non datur, quia eo tempore non datur præſcriptio. *c. Prima actione 16. q. 3.*

Tit. XXVI.

61. Jure Canonico ſententia lata contra matrimonium nunquam tranſit in rem judicatam, imo comperta veritate ſemper retractatur. *c. Lator. c. Tenor. c. Conſanguinei, de ſent. & re judic.* Secus jure civili, *tota Tit. C. de execut. rei judic.*

62. Jure civili concipitur ſententia in perſonam Procuratoris vel eum qui producit. *l. 1. C. de ſent. & interloc. om. jud. l. Si Procurator. ff. de doli mali & met. except.* Secus Jure Canonico.. *c. Licet de probat. c. Querelam de Elect.*

63. Jure civili cum Judices discordant plurium sententia valet. *l. Duo ex tribus 39. ff. de re judic.* At jure Canonico concors omnium sententia requiritur contra eum, qui est criminaliter damnatus. *Si quis Episcopus 6. q. 4.*

64. Jure civili latâ sententiâ, quæ in rem judicatam transiit, nemo auditur adversus illam. *l. 1. C. sententiam rescind. non posse.* Jure Canonico autem auditur quis favore matrimonii semiplene probata fraude per juramentum & unum testem. *c. Ex literis de in integ. restit. c. Quisquis 4. q. 5.*

Tit. XXVIII.

Jure Canonico in notoriis non servato juris ordine proceditur. *c. Vestra de cohabit. Cler. & mul. c. Cum sit Romana de appell.* Jure civili ordo & præscriptæ solennitates servandæ sunt. *l. Prolatam C. de sent. & interloc. om. Jud. l. Absentem C. de accusat.*

66. Jure Canonico Judex ordinarius, ut suspectus recusari ex justa causa potest, *c. Secundo requiris 41. §. Tertio postulas de appell. c. Cum speciali 61. eod c. Si quis contra Clericum de foro camp.* Sed jure civili associarur non recusatur. *l. Apertissimi, cum Auth. Si vero contigerit C. de Iud.*

67. Cum Judex delegatus recusatur

lege civili non est opus allegare causam suspicionis, nec probare *arg l. Quia poterat ff. de Trebell.* At jure Canonico causa suspicionis coram arbitris proponenda & probanda est. *c. Suspicionis 39. de offic. deleg. c. Secundo requiris 41. de apell. c. Cum speciali 61. eod.*

68. Jus Canonicum revocationem sententiæ interlocutoriæ absolute & in omni casu, quo litigantes se gravatos existimant, indulget *c. Cum cessante de appell.* At jure civili interlocutoria, quæ præcipit aliquid dari vel restitui, vel non dari, non restitui, revocari non potest: Aliæ possunt revocari. *l. Ante sententiæ tempus C. quorum appell. non recip. l. 2. C. de Episc. aud.*

69. Jure Canonico appellare licet à quolibet gravamine. *c. Cum sit Romana. c. Bonæ memoriæ de appell.* Jure civili vero non nisi in certis causis & ipso jure expressis. *c Pastoralis de appell.*

70. Jure Canonico omisso medio ad summum Pontificem appellare licet. *c. Dilecti filii 66 de appell. c. Si duobus eod.* Non vero jure civili appellari potest ad Principem omisso medio. *l. 1. ff. de appell. §. 3. l. Imperatores eod.*

71. Jure Canonico à sententia Episcopi appellari debet ad Metropolitanum vel Papam. *c. Duo simul, de offic. ord. c. Ad Roma-*

Romanam. 2. q. 6. Jure civili vero appellare licet ad Judicem sæcularem. *Auth. Si quis litigantium* C. *de Episc. audient.*

72. Jure Canonico crimen confessus non potest appellare. *c. Cum speciali* 61. *de appell.* Jure civili vero requiritur, ut etiam sit convictus *l. observare, ubi Glos.* C. *Quorum appell. non recipiuntur.*

73. Jure Canonico appellatio non non suspendit excommunicationem. *c. Præterea. c. Pastoralis de appell.* Jure civili vero suspendit, ut aliud quodcunque judicatum. *l.* 1. *ff. ad* S. C. *Turpi* §. 11. *l. fin.* C. *Si à non comp. Jud.*

CAPUT VIII.

Differentiæ in Libro tertio Decretalium occurrentes.

Tit. X.

1.

IN alienatione rerum immobilium Ecclesiæ alia solennitas jure Canonico, alia jure civili requiritur. *c. Sine exceptione* 12. *q.* 2. *Auth. Hoc jus porrectum.* C. *de sacr. Eccles.*

Tit. XVII.

2. Jure civili venditor præcise non tenetur dare rem venditam emptori, sed sufficit quod det interesse. *l.* 1. *ff. de act. emp.*

emp. & vend. l. Si traditio C. eod. At jure Canonico præcisè rem ipsam tradere tenetur secundum Hostiensem *in c. Cum Joannes de fid instrum.*

3. Si quis emit rem aliquam mea pecunia, sed suo nomine jure civili habet jus in illa *l. Si ex ea pecunia C. de rei vindic. l. Qui vas ff. de furt.* At jure Canonico si res empta sit pecunia fœnebri vendi & restitui debet pecunia. *c. Cum tu de usur.* Idem est si aliena pecunia res empta sit, *c. Non est putanda. 1. q. 1.*

Tit. XVIII.

4. Jure civili locator finito tempore locationis domum alii locare potest, etiam invito primo Conductore. *l. Ne cui C. de locato & cond.*

5. Jure civili Emphyteuta qui triennio Canonem non solvit expelli potest. *l. 2. C. de jure Emphyt.* At jure Canonico, qui duobus annis Canonem præstare negligit Emphyteusin amittit, permittitur tamen moræ purgatio. *c. Propter, de loc. & conduc.*

Tit. XXI.

6. Jure Canonico licitum est pignorare bona Ecclesiæ sacra & Religiosa. *c. 1. de Pign.* Secus jure civili. *l. 3. C. Quæ res pign. oblig. poss.*

7. Jure civili fructus ex re pignorata

rata extenuant sortem. *l.* 1. & 2. C. *de pig. act.* Sed in jure Canonico contrarium est in duobus casibus. *c.* 1. *de feud. c. Conquestus de usuris. c. Salubriter eod.*

Tit. XXV.

8. Jure Canonico ædificium ædificatum in solo alterius ex pecunia Ecclesiæ trahit ad se dominium soli favore Ecclesiæ. *c. Apostolicos.* 12. *q.* 2. Jure civili vero ædificium semper cedit solo. *l. Redemptores ff. de rei vendic. Instit. de rerum divis. §. Cum in suo.*

Tit. XXVI.

9. Jure Canonico, qui extremam voluntatem alterius dispositioni committit, non videtur decedere intestatus. *c. Cum tibi de Testam.* Secus jure civili. *l. Illa institutio ff. de hæred. instit. l. Captatorias eod.*

10. Jure civili in testamento solenni septem requiruntur testes, in Codicillis regulariter quinque. *l. Hac consultissima* C. *de testam. & l. fin.* C. *de codicillis.* At jure Canonico in relictis ad pias causas sufficiunt duo vel tres testes. *c. Cum esses* 10. *c. Relatum de Testam.* Quod in omnibus locum habere asserunt nonnulli *Bart.* 104.

11. Jure Canonico in testamentis testes esse fœminæ possunt. *c. Quoniam. c. In literis, de test. & attest.* Non jure civili.

l. Ex

l. Ex eo 18. *ff. de Teſt. i Qui teſtamento. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* In cauſis vero civilibus & criminalibus adhiberi honeſtæ fæminæ poſſunt ſecundum Leges & Canones.

12. Jure Canonico Clerici de bonis propriis teſtari poſſunt. *c. Sint manifeſtæ* 12. *q.* 1. *& c.* 1. 5. *ead.* At jure civili de quæſitis labore & induſtria ſua non poſſunt teſtari, ſed cedunt Eccleſiæ. *Auth. Licentiam* C. *de Epiſc.*

13. Jure Canonico uſurarius manifeſtus non poteſt teſtari niſi prius præſtita ſatisfactione de uſuris ablatis. *c. Quanquam, de uſur. in* 6. At jure civili videtur poſſe teſtari. *tot. Tit. ff. & C. de Teſtam. Inſt. quib. permiſ. fac. teſtam.*

14. Jure Canonico non valet indiſtinctè legatum rei alienæ. *c. Filius de Teſtam.* At jure civili diſtinguitur. *l. Cum alienam* C. *de Legat. l. Si res obligata ff. de Legat.*

15. Jure Canonico Monachus in hæreditate ſibi delata æquiparatur filio familias, ut Monaſterium poſſit adire delatam hæreditatem Monacho, ejusque conſenſus non ſit neceſſarius. *c. In præſentia, de prob. & l. Cum proponas* C. *de hæred. inſtit.* Sed jure civili videtur potius æquiparari Servo juxta dictam legem: *Cum proponas* Advertendum tamen, quod

quod cum Professio paupertatis incapaces reddat ad proprium quippiam sibi acquirendum, sed omnia Monasterio acquirantur, Monachum sic comparari servo, at quo ad modum filio familias assimulari. *l. ult. C. de bonis quæ.*

16. Jure civili hæres filius non implens voluntatem defuncti privatur hæreditate, salva tamen legitima. *l. fin. C. de fidei comm. Auth. Hoc amplius eod.* At jure Canonico privatur etiam legitima. *c. Sylvester* II. *q.* I.

16. Jure Canonico hæres tenetur ex delicto defuncti, licet ad eum nihil devenerit ex delicto defuncti. *c. fin. de sepult. c. In literis de rapt.* Secus jure civili. *l.* 1. C. *Ex delict. defuncti l. In hæredem ff. de calumn.*

18. Jure civili hæres qui facit inventarium non tenetur ultra vires hæreditatis. *l. Scimus C. de jure deliber.* Sicuti tenetur non conficiens inventarium. *Auth. de Hæred. & falcid. & fin. C. de jure delib.* At jure Canonico sive inventarium confecerit, sive non, non tenetur ultra vires hæreditatis. *c. In literis, de rapt. c. Tua nos de usur.*

19. Jure Canonico pro legitima filiorum consequenda revocantur alienata per Parentes in fraudem liberorum, etiamsi alienatio facta sit ex causa onerosa,

rosa, puta venditionis vel permutationis. *c. Raynutius de Testam.* Sed jure civili revocantur tantum alienata in fraudem ex causa lucrativa. *l. Nonusque adeo ff. Si à Parente quis fuer. manu.*

Tit. XXVII.

30. Jure civili mortuorum corpora extra civitatem ad sepulturam efferenda sunt. *l. C. de relig. & sumpt. fun.* Sed jure Canonico fidelium defunctorum corpora non tantum in Urbe & Cœmiterio, sed etiam in Ecclesia sepeliuntur *c. Cum gravia & c. seq. 13. q. 2.*

21. Lege civili non sunt ornamenta cum corporibus sepulchro inferenda. *l. Et si quis §. Non autem ff. de relig. & sumpt. funer.* At jure Canonico Patriarchæ & Archi-Episcopi cum Pallio sepeliuntur. *c. 2. de auct. & usu pall.*

Tit. XXX.

22. Secundum leges fructus intelliguntur & decimæ exhibentur deductis expensis. *l. fructus ff. soluto matrimon. l. à Domino §. fin. de hæred. petit. & l. fundus 5. ff. familiæ Herciſ.* At jure Canonico decimæ solvendæ sunt integræ de omnibus omnino fructibus nulla impensarum facta deductione. *c. Cum homines, c. Non est in potestate c. Tuo nobis de decim.*

23. Jure civili fit mora non ex re, sed

sed ex persona, si interpellatus debitor congruo loco & tempore non solverit. *l. Mora ff. de verb. oblig.* At jure Canonico fit mora reipsa in tarda solutione decimarum. *c. Decimæ* 16. *q.1.c. Cum homines, de decim.*

Tit. XXXII.

24. Secundum leges justa est causa divortii & solvitur matrimonium per votum continentiæ ab altero conjugum factum §. *Distrahuntur Novell. Authent. De nupt.* At secundum Canones ejusmodi votum absque consensu comparis non est licitum. *c. 1. & seqq. 33. 45. c. Ex publico de convers. conjug. c. Agathosa. 27. q. 2.*

Tit. XXXIV.

25. Jure civili impubes, aut filius familias sine Patris auctoritate voto non obligatur. *Si quis rem §. voto ff. de pollicit.* At jure Canonico votum ab impubere editum est validum & obligat. *c. Venientis de voto. c. Mulier 32. q. 2.*

Tit. XXXVI.

26. Jure Canonico dicitur locus Religiosus qui auctoritate Episcopi constructus aut consectatus est. *c. Adhæc, de Relig. dom. c. Nemo Ecclesiam de Cons. Dist. 1.* At jure civili Religiosus locus illatione mortuorum efficitur. *l. Cum in diversis & l. Locum ff. de relig. & sumpt.*

Tit.

Tit. XXXVIII.

27. Jure civili Patronus Laicus Ecclesiæ indignum præsentans ea vice privatur jure suo *Auth. de sanctiss. Episc. coll. 9. cap. Si quis orat.* At jure Canonico Laicus non privatur. *c. Cum vos de offic. ord. c. Pastoralis de jure patron.* Privatur tamen persona Ecclesiastica indignum præsentans. *c. Cum in cunctis de elect.*

Tit. XXXIX.

28. Secundum Canones imponens nova & insolita vectigalia privatur communione Ecclesiæ. *c. innovamus de cens. c. Paternarum 24. q. 3.* Secundum leges in exilium relegatur. *l. penult. C. Vectigal. nova institui non posse.*

Tit. L.

29. Secundum Canones Clericis studium juris civilis prohibetur. *c. Super specula de privil.* Secundum leges vero omnibus id permissum est. *arg. l. Nec non §. Quod eis ff. Ex quibus causis major.*

CAPUT IX.

Differentiæ quæ in Libro quarto Decretalium occurrunt.

Tit. I.

1.

EX sponsalibus inter consanguineos contractis, licet nulla sint, oritur

oritur tamen impedimentum publicæ honestatis. *c. Ad audientiam de sponsal.* Quod jure civili oriri non videtur. §. *Si impossibilis Instit. de in util. stipul.* quamvis id expresse decisum non reperiatur.

2. Ad sponsalium solutionem secundum leges sufficit unius tantum sponsi dissensus. *l.* 1. C. *de sponsal.* Non vero secundum Canones. *c.* 2. *de sponsal. c. de illis de despons. impub.*

3. Qui puellam nec dum septem annorum uxorem duxit, eamq; conatus cognoscere, non tamen perfecit, non potest secundum Canones matrimonium contrahere cum consobrina. *c. Juvenis de sponsal.* Id vero jure civili prohibitum non reperitur: *Bart.* 110.

4. Jure civili pubertas ex annorum numero æstimatur, qui in masculo est decimus quartus, fœmella duodecimus. *l. fin.* C. *quando tutor esse desin. Instit. quibus mod. tut. fin.* At jure Canonico ex habitu corporis & vigore naturæ desumitur. *c. Puberes. c. de illis c. fin. de despons. impub.*

5. Jure Canonico neque pœnæ, neque arrhæ promissio valet in matrimonio *c. Gemma.* 29. *de spons. & ibid. Gloss.* At jure civili arrhæ permittitur. *l. fin.* C. *De sponsal.* Non vero pœnæ promissio. *l. Titia* 134. *ff. de verb. oblig.* 6. Se-

6. Secundum Canones matrimonium metu in constantem virum cadente ipso jure nullum est. *c. Cum locum* 14. *& c. seq. de sponsal. c. Significavit De eo qui duxit in uxor.* Jure vero civili valere videtur. *l. Si patre ff. De ritu nupt. l. Si mulier* 21. *ff. De eo quod metus causa.*

7. Matrimonium inter Tutorem & pupillam, cujus curam gessit, damnatur jure civili. *l. Tutor ff. de sponsal.* Permittitur vero jure Canonico. *DD. in cap. penult. de secund. nupt.*

8. Si incertum an maritus captus ab hostibus in vivis sit, jure civili potest mulier post quinquennium alteri nubere. *l. Uxores 6. ff. De divort. Novell.* 22. §. *Sed etiam captivitatis.* At jure Canonico id non permittitur nisi certa sit de morte prioris mariti. *c. In præsentia* 19. *De spons.*

9. Jure Canonico ad matrimonium contrahendum à valentibus loqui verba requiruntur, in cæteris consensus nutu declaratus sufficit *c. Tuæ de sponsal.* Jure civili vero sufficit consensus quomodocunque declaratus etiam inter valentes loqui *l. nuptias ff. De R.* 1. *l. cum fuerit ff. de condit. & demonst.*

10. Jure civili præsumitur matrimonium inter cohabitantes simulque familiam tractantes. *l. in liberæ mulieris ff. de*

ritu

ritu nupt. At jure Canonico non præsumitur matrimonium, sed necessaria omnino est solennitas nuptiarum. *c. Illud de præsumpt.*

11. Jure civili mulier rapta non est desponsanda raptori suo. *l un §. Sin autem C. de raptu Virg.* At jure Canonico id permittitur. *c. Accedens. de rapt.*

12. Secundum leges consensus Parentum requiritur ad filiorum matrimonium. *Instit. de Nuptiis init. l. Nec filium quidem famil.* C. *de nupt.* Non vero secundum Canones. *c. Cum apud De sponsal.*

13. Jure Canonico Pater invitam filiam maritare non potest. *c. 1. de despons. impub. c. Cum locum. De sponsal.* Potest vero jure civili, nisi maritus persona sit indigna. *l. Sed quæ Patris ff. de sponsal.*

14. Jure civili non licet viro Uxorem verberare. *l. Consensu* C. *de repud.* Corrigere tamen potest. *c. Si quid alteri 7. q. 1.* At jure Canonico Clericis (de Laicis non exprimitur) permissum est Uxores suas custodire, ligare, verberibus & fame macerare *c. placuit, ut si 33. q 2.*

15. Jure Canonico sententia in causa matrimonii sine scripto ferri potest. *c. Albericus 43. de Testib* Non vero jure civili. *l. fin. C. de sententiis ex peric. recitandis.*

Tit. IX.

16. Jure Canonico tam servus, quam liber recte matrimonium contrahunt. *c.* 1. *de conjug. Serv.* At jure civili nec inter servos, nec inter Servum & liberam est matrimonium, sed dicitur contubernium. *l. cum ancillis.* C. *de incest. nupt.*

Tit. XIII.

17. Jure Canonico potest unius confessio, quod contrahentes sint affines matrimonium contrahendum impedire ad evitandum majus malum. *c. præterea* 12. *de sponsal.* At jure civili unius testimonio non creditur. *l. Jurisjurandi. c. de Test.*

Tit. XIV.

18. Ad probandam consanguinitatem Jure Canonico admittitur Testimonium de credulitate & auditu. *c. Quoties de Test. & attest.* Quod in jure civili non reperitur. *Bart.* 39.

19. In computatione graduum cognationis alia jure civili, alia jure Canonico gradatio servatur. *Bart.* 96. *Strein. Tit.* 8. *diff.* 9.

20. Jure civili affinitas contrahitur ex legitimis nuptiis etiam sine copula *l. non facile* §. *affines ff. de grad. affin.* At jure Canonico ex sola copula, sive licita ea sit, sive illicita. *c. per tuas de probat. c. præterea de mulier de spons.*

Tit

Tit. XV.

21. Jure Canonico propter impotentiam, quæ impedit usum matrimonii, si de ea constet, solvitur matrimonium, in dubio triennium exspectandum est. *c. Laudabilem 5. de frig. & malefic.* At jure civili indifferenter triennii experientia sumenda est. *Novell. de nupt. c. 6.*

Tit. XVII.

22. Jure Canonico omnis viri fœminæque illegitima conjunctio prohibetur. *c. Tanta, qui fil. sint legit.* At jure civili Concubinatus quibusdam permittitur. *§. fin. Instit. De nupt. ff. de Concub.*

23. Jure Canonico per solum matrimonii contractum absque confectione instrumentorum dotalium legitimantur filii naturales eorum, inter quos tempore susceptæ prolis matrimonium esse poterat. *c. Tanta est. Qui fil. sint legit.* At jure civili ad effectum legitimationis filiorum naturalium confici quoque debent instrumenta dotalia *§. fin. Instit. De nupt. c. Per venerabilem. Qui fil. sint legit.*

24. Jure Canonico filii legitimi censentur, qui ex matrimonio publicò & bona fide contracto saltem alterius Parentis nati sunt, licet revera matrimonium ob impedimentum nullum fuerit. *c. 2. & penult. Qui fil. sint leg.* At jure civili

vili tales filii ſpurii habentur, *l. 3. C. ſolut. matrimon.*

25. Jure Canonico nati ex damnato coitu non poſſunt eligi ad honores & dignitates. *c. 1. de fil. Presbyt.* Secus eſt jure civili. *l. Spurii ff. de Decur. l. generaliter §. Spurios poſſe eod.*

26. Jure Canonico non licet viro dimittere Uxorem ſuam excepta fornicationis cauſa. *c. Præceptum & c. Si Uxorem 32. q. 5.* At jure civili pluribus ex cauſis repudium permittitur. *l. Conſenſu §. cauſas. C. De repud.*

27. Jure Canonico propter adulterium agitur tantum ad ſeparationem thori, amiſſionem dotis & donatorum propter nuptias *c. Tuæ de procur.* non excludit tamen intruſionem in Monaſterium. *c. Gaudeamus de converſ Conjug.* Sed jure civili adulterium olim pœna ſanguinis puniebatur. *l. Caſtitati. C. ad l. Jul. de adult.* Hodie adultera detruditur in Monaſterium. *Auth. ſed hodie. C. ad l. Jul. de adult.*

28. Jure Canonico maritus etiam poſt quinquennium de adulterio uxoris queri & agere poteſt ad ſeparationem thori. *c. Admonere 33. q. 2.* At jure civili poſt lapſum quinquennium non auditur. *l. miles §. adulterii reum ff. de adult.*

Tit.

Tit. XXI.

29. Jure civili mulier intra annum luctus transire ad secundas nuptias, idque sine pœna non potest. *l.* 1. *&* 2. C. *de secund. Nupt.* At jure Canonico statim marito mortuo alteri sine metu pœnæ nubere potest. *c. Super illa & c fin. de secund. nupt.*

CAPUT X.

Differentiæ quæ in Libro quinto Decretalium occurrunt.

Tit. I.

1.

JUre civili accusare nemo invitus tenetur. *l. un. C. ut nemo invitus.* At jure Canonico Clerici coguntur ad denunciandum Sacerdotum scelera. *c. quapropter* 2. *q.* 7. *c. Cau. sam. Qui filii sint legit.*

2. Jure civili quoties ex eodem delicto plures actiones concurrunt, una erit eligenda. *l. Senatus ff. de accus. l. qui servum alienum ff. de oblig. & act. l. Nemo §. quoties ff. de R. I.* Secus jure Canonico. *c.* 2. *& ult. de eo qui in uxor. dux.*

3. Jure Canonico jurisdictio delegati prorogari non potest de persona in personam. *c. P. & G. de offic. deleg.* Potest vero jure civili. *l.* 1. *&* 2. *ff. de Judic.*

4. Jure civili Judex Laicus in causa

civili alium Judicem Laicum ſubſtituere poteſt. *l.* 1. *&* 2. *ff. de Judic.* Quod Jus Canonicum Clericis non permittit. *c. Si diligenti de for. compet.*

Tit. VII.

5. Jure civili de hæreſi cognoſcere poteſt Judex ſæcularis. *l. Quicunque* C. *de hæret.* At jure Canonico ſolus Epiſcopus vel Inquiſitor. *c. Ut officium inquiſitionis de hæret. in* 6.

6. Jure Canonico bona hæreticorum publicantur, iisque filii privantur. *c. Vergentis* 10. *de hæret. c. Cum ſecundum eod. in* 6. Non vero jure civili. *l. cognovimus.* C. *de Hæret. Auth. Idem eſt de Neſtorianis eod.*

Tit. XII.

7. Jure civili cuilibet licet occidere alium pro defenſione rerum ſuarum, ſi eas aliter defendere non poſſit. *l.* 4. *ad l. Aquil. l. Furem nocturnum ff. ad l. Corn. de Sicariis.* Quod jure Canonico Clericis prohibetur. *c. Suſcepimus de homic. & ibi Gloſſ.*

8. Jure civili datur poteſtas Patri occidendi adulterum cum filia, & marito uxorem in adulterio deprehenſam. *l. Patri* 20 *ff de adult. l. Marito* 24. *eod.* At jure Canonico neutrum licet. *c.* 1. *de homicid.*

9. Jure Canonico omnes ſimul vulnerantes unum, ſi moriatur, cenſentur ho-

homicidæ, licet constet cujus ictu occisus sit. *c. Præsentium de Clerico Percussore. c. Sicut dignum de homic. volunt.* At jure civili solus ille, cujus ictu interiit, censetur homicida. *l. Si in rixa ff. ad l. Cornel. de Sicar. l. Huic Scripturæ ff. ad l. Aquil.*

10. Jure Canonico vulnerans aliquem etiam in dubio, an ex eo vulnere is mortuus sit non potest in sacris ordinibus ministrare. *c. Ad audientiam 12. de homic.* At jure civili non tenetur tali casu vulnerans de occiso. *l. Huic Scripturæ §. Si servus ff. ad l. Aquil.*

11. Secundum Canones homicida Clericus deponendus, Laicus vero excommunicandus est. *c. Sicut dignum, de homicid.* Secundum leges vero aliter punitur. *l. Ejusdem ff ad l. Cornel. de Sicar. l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occid.*

12. Parricidæ aliam pœnam jure civili quam Canonico incurrunt. *l. un. C. de his qui patr. vel liber. occidunt. l. pen. ff. ad Porm. de parric. c. Lectorem 33. q. 2. c. 1. & seqq. de his qui fil. occidunt.*

13. Jure civili punitur, qui causam dedit arbortui, etiamsi fœtus non fuerit animatus. *l. 38. §. Qui abortionis ff. de pœn.* Jure Canonico aliter proceditur. *c. Sicut, de homic. c. Moyses 32. q. 2.*

Tit.

Tit. XIII.

14. Jure Canonico haſtiludia & torneamenta prohibentur *c.* 1. *de torneam.* Jure civili vero tanquam felicis populi ſtudia permittuntur. *l.* 1. C. *de ſpectac.*

Tit. XIV.

15. Jure civili licitum eſt res ſuas armis tueri etiam præveniendo hoſtem. *l.* 1. C. *Unde vi l.* 1. *c. Quando liceat unicuique ſine judicato ſe vindicare.* At jure Canonico non licet armis uti Clericis. *c. Ex multa, de voto*, nec iis tueri res ſuas. *c.* 1. *c. Quicunque* 23. *q.* 8. *c. Suſcepimus de homic.*

Tit. XVI.

16. Jure civili mulier non accuſat virum de adulterio. *l.* 1. C. *ad l. Jul. de adul. c. Apud miſericordem* §. *publico* 32. *q.* 1. Videtur id autem poſſe jure Canonico, *c. Tuæ De Procur.*

17. Secundum leges adultera poſt quinquennium commiſſi criminis accuſari à viro non poteſt. *l. miles* 11. §. *adulteri ff. de adult.* At ſecundum Canones poteſt etiam poſt plures annos poſtulare ſeparationem thori. *c. admonere* 33. *q.* 2.

18. Jure civili ſtuprum eſt coitus prohibitus cum Virgine, Vidua, puero & muliere ſoluta. *l. Stuprum ff. de adult. l.* 3. *ff. de concubi.* At Jure Canonico ſtuprum proprie eſt Virginis defloratio. *c. Lex* 36. *q.* 1.

q. 1. Licet quandoque etiam sumatur pro adulrerio. c. Nemo 32. q. 4. c. Idololatria. 28. q. 1.

19. Jure civili fornicatio simplex videtur permissa. l. 2. C. de donat. inter vir & uxo. l. In concubinatu ff. de concubinis. At jure Canonico quælibet fornicatio damnatur. c. Nemo 32. q. 4. c. de priori 31. de appell.

20. Jure Canonico Virginem corrumpens dotabit eam & habebit uxorem. c. 1. de adult. Jure civili alia ponitur pœna. §. 4. Instit de publ. Jud.

Tit. XVII.

21. Jure Canonico raptus committitur tantum cum non desponsata c. Cum causa de rapt. c. statutum 27. q. 2. Sed jure civili committitur etiam cum desponsata. l. 1. C. de rapt. Virg.

22. Jure Canonico Sacrilegus aliquando excommunicatione majore vel minore, aliquando pœna pecuniaria punitur prout est delictum. c. Quisquis & alii 17. q. 4. Secundum leges vero pœna Sacrilegorum capitalis est l. Sacrilegii ff. ad l. Jul. peculatus & de Sacrilegis.

23 Incendiariis alia pœna constituta est per leges, alia per Canones l. Data opera C de his qui accusare non possunt. c. Si quis domum de injur. c. Cum devotissimam 12. q. 2

Tit

Tit. XVIII.

24. Jure Canonico tenetur quis furem manifestare, nec quicquam eo nomine accipere potest. *c. Qui cum fure, de furt.* Secus jure civili *l. Si obturpem ff. de condict. ob turp. caus. l. solent. ff. de præscr. verb.*

25. Jus Canonicum etiam animum furandi punit, jus civile non nisi opus externum regulariter loquendo. *c. Tres personas junct. Gloss. l. Vulgaris §. Qui furti ff. de furt.*

Tit. XIX.

26. Jus Canonicum omnem usuram prohibet. *c. 3.4.5. 7. 10. de usur.* Jus civile aliquam permittit. *l. Ejus C. de usur. l. Placuit ff. eod.*

Tit. XX.

27. Secundum Canones pœna falsi multiplex est. *c. Ad falsarior. de crim. falsi.* Secundum leges in homine libero est deportatio, & omnium bonorum publicatio: in servo ultimum supplicium. *l. 1. §. fin. ff. de fals.*

28. Jure civili non punitur de falso, qui falsis instrumentis utitur, si pœniteat. *l. Si falsos C. ad l. Corn. de fals.* Secus Jure Canonico. *c. Dura. c. Ad falsarior de crimine fals.*

Tit. XXI.

29. Sortes à jure civili pluribus modis

dis permittuntur. *l. Sed cum ambo ff. de judic.* Jure Canonico sortes divisoriæ non permittuntur in electionibus ad dignitates & officia Ecclesiastica *c. ult. de Sort.* licet in cæteris electionibus permittantur. At sortes consultoriæ & divinatoriæ omnino prohibentur. *c. sortes 26. q. 5.*

Tit. XXII.

30. De Jure civili non tenetur quis delicto obviare & alium defendere nisi sit subjectus potestati, ut filius, servus vasallus. *Glos. in l. Culpa caret ff. de Reg. Jur.* Jure Canonico omnes, qui possunt ad impediendum alterius delictum tenentur. *c. Dilecto de sent. excommunic. in 6. 23. q. 3. c. 7. & 8.*

Tit. XXVII.

31. Jus Canonicum solennem pœnitentiam vel pœnam pecuniariam imponit Blasphemis. *c. 2. de maledicis.* Jus civile pœna mortis affici blasphemos jubet. ~~Non item ut non luxur. homines~~ Auth. 77 *§. Et quoniam & seq.*

Tit. XXXVI.

32. Jure Canonico Actio injuriarum ad hæredes transit. *c. In literis de raptor.* Non item Jure civili *l. si eum §. qui l. injuriarum ff. si quis caution. in jud. susten.*

Tit. XXXVII.

33. Promittens aliquid dare sub pœna,

na, si partem non dederit, Jure civili ad totam pœnam obligatur. *l. In executione* 85. §. *Item si ita ff. de verb. oblig.* Secus jure Canonico. *c. suam de pæn.*

34. Aliæ pœnæ jure Canonico, aliæ jure civili infliguntur. *c. Sicut dist.* 68. *c. Placuit dist.* 18. *c. Ad reprimendam de offic. ord. l. Si quis forte* §. *Nunc genera cum sequentibus ff. de pæn.* Pœnæ ex præscripto Canonum sunt: 1. Degradatio & Traditio Curiæ sæculari. 2. Detrusio in Monasterium. 3. Depositio simplex. 4. Suspensio à divinis. 5. Excommunicatio. 6. Suspensio ad tempus. 7. Privatio officii temporalis tantum. 8. Privatio communionis tantum. 9. Pœnitentia. 10. Carcer sive temporalis sive perpetuus. 11. Traditio curiæ ad servitium. 12. Pœna verberum. 13. Relegatio ad triremes. Pœnæ à jure civili statutæ sunt: Damnum, exilium, vincula, verbera, talio, ignominia, servitus & mors.

35. Jure civili quodcunque crimen ad evitandam pœnam transactione finitur. *l. Transigere* C. *de transact.* Non vero jure Canonico si sit de rebus spiritualibus interveniente aliquo temporali. *c. Canstitutus. c. Super eo. c. Præterea* 10. *de transact. tit. de Simon. &* 1. *q.* 1. *per tot.*

36. Sce-

36. Scelus contra naturam per Canones non punitur supplicio mortis. *c. Clerici de excess. Prælat. c. Flagitia 32. q. 7.* Secus secundum leges. *l. Cum vir nubit in fœminam. C. ad l. Jul. de adult. Auth. ut non luxuri. cont. nat. §. Præcipimus.*

37. Incestus & adulterium aliter jure Canonico, quam civili punitur. *c. Relegentes 23. q. 5. Auth. Sed hodie C. de adult.*

38. Jure Canonico Monacham carnaliter cognoscens, si Clericus sit, deponitur, si Laicus, excommunicatur. *c. Si quis Episcopus. 27. q. 1. c. Si quis Sacerdos. 30. q. 1.* Jure civili vero Laicus capitali pœna feritur. *l. Si quis non dicam. C. de Episc. & Cler.*

39. Malefici vel divinitatores alia pœna jure Canonico, alia civili plectuntur. *c. Qui divinationes 26. q. 5. l. Nemo, l. Nullus C. de malef. & mathem.*

40. Jure civili nemo debet in pœnam bullari, seu in fronte signari *l. Si quis in metallum C. de pœn.* At jus Canonicum id aliquando permittit. *c. Ad audientiam de crim. falsi.*

41. Convictus de libello famoso occulte exposito secundum leges capite punitur. *l. un. C. de famo libel.* Secundum Canones autem verberibus subijcitur. *c. Qui in alterius & seq. 5. q. 1.*

42. Jure

42. Jure Canonico Episcopum à propria sede ejiciens, vel comprehendens aut percutiens, vel qui contra sacras personas enormia committunt excommunicantur, & omnium bonorum confiscatione puniuntur. *c. Si quis deinceps* 17. *q.* 4. *c. Si quis rapuerit* 27. *q.* 1. At jure civili damnatorum bona hæredibus reservantur. *l.* 1. §. *de bon. damn.*

43. Jure civili nulla pœna ultra quadruplum excedere debet. §. *Omnes autem actiones, Instit. de action.* Secus jure Canonico *c. Quisquis* 17. *q.* 4. *c. Cum devotissimam.* 12. *q.* 2.

44. Desertori bellum aut fugienti jure Canonico pœna constituta est infamia. *c. Infames* 6. *q.* 1. Jure civili autem capitale supplicium. *l. Omne delictum* §. *Qui in acie ff. de re militari.*

CAPUT XI.

Origo & Incrementum Juris Canonici seu Canonum Ecclesiasticorum.

Quatuor cœtus Apostolorum. Canonum & Constitutionum Apostolicarum auctoritas. De Codice Canonum. De collectione diversorum. De Decretis Burchardi

chardi Wormacienſis, *Volumine Decretorum Ivonis Carnotenſis, & Concordantia diſcordantium Canonum Gratiani. De compilatione prima, ſecunda, tertia, quarta & quinta, & de Decretalibus Gregorii IX. Libro ſexto, Clementinis & Extravagantibus.*

I.

JUs Canonicum in ipſis ſtatim primordiis naſcentis Eccleſiæ condi cœpit. Apoſtoli enim poſt Aſcenſionem Domini quatuor præcipuè cœtus juxta gloſſam ordinariam *in c. 1. Act. Apoſt.* coëgiſſe in actibus Apoſtolicis leguntur, in quibus Religionis negotia tractarunt, & ea quæ Eccleſiæ regendæ utilia eſſent, conſtituerunt, Canonesque ab omnibus Chriſti fidelibus obſervandos confecerunt.

An vero hi cœtus dicendi ſint Concilia Oecumenica, an particulares conventus, videtur de nomine potius, quam de re eſſe quæſtio. Si enim ſpectetur materia, quæ agitabatur, dicenda erunt Concilia univerſalia, cum fidei negotium, quod in illis tractatum eſt, ad omnes Chriſtianos ſpectet; Si autem convocatio attendatur, cum ea non fuerit omnibus, quorum intererat, indicta,

dicta, particulares Conventus appellandi erunt. Poterant tamen pauci Apostoli, qui iis interfuerunt de fidei negotiis tuto statuere, cum peculiaribus Spiritus sancti donis & gratiis donati fuerint.

Primus ergo cœtus post Ascensionem Domini collectus fuit Hierosolymis anno Christi trigesimo quarto secundum Baronium, vel ut computat Philippus Labbè trigesimo tertio in domo Mariæ Matris Joannis, ubi congregatis Apostolis cum aliis ferè centum viginti suffectus est divina sorte Mathias in locum Judæ proditoris. *Act.* 1. 15. Præsedit huic cœtui S. Petrus; Et licet plures congregati essent ex populo, hi tamen non habebant jus suffragii, sed tantum desideria sua, & virtutis testimonia depromebant.

Secundus cœtus habitus est quoque Hierosolymis anno à Nativitate Christi 34. vel secundum Labbé 33. post Spiritus sancti missionem, ob primam discordiam natam in Ecclesia ex eo, quod Græci, id est, Judæi in Græcia, vel Provinciis, ubi Græcè loquebantur, degentes (nam gentilibus tum temporis ostium Ecclesiæ nondum patebat) conquererentur de Hebræis, id est, indige-

nis

nis Palæstinis, quod viduæ eorum in quotidiano Ministerio, hoc est, servitio mensarum & eleemosynarum distributione negligerentur, neque his subveniretur, ut viduis hebræis *Act.* 6. *v.* 1. Quare cum æquum non esset Apostolos derelinquere verbum DEI, & ministrare mensis, concesserunt multitudini discipulorum jus præsentandi septem ad hoc ministerium idoneos, qui etiam ex hac concessione indultâ non vero ex jure *Bar. ad an.* 34. *n.* 343. *&* 287. *& an.* 35. *n.* 1. *Bell. l.* 1. *de Cler.* elegerunt ex septuaginta discipulis Domini *Epiph. l.* 1. *c.* 21. septem viros boni testimonii, quos Apostoli per impositionem manuum Diaconos ordinarunt. *Conc. Carth.* 4. *c.* 1. *de Sacr. non iter. Bellar. de Sacr. Ord. l.* 1. *c.* 6. Non ut mensis tantum communibus ministrarent, prout docuit *Sebast. Cæsar de Eccles. Hierar. disp.* 9. §. 1. *Vasq.* 3. *p. in par.* 3. *disp.* 236. *c.* 4. aliique nonnulli, ad hoc enim opus non erat tam sollicitâ electione, & ritu illo sacro imponendi manus, sed ut ministerio etiam Altaris præficerentur; Unde in Ecclesia usus inolevit, ut Diaconi ad sacrificium offerendum omnia disponant, locum, hostiam & calicem præparent, ac Sacerdotibus offerentibus assistant. *c. Perlectis* §. *ad Diaconum Dist.* 25.

Quin etiam vivificum Christi sanguinem communicantibus præbebant teste Justino *Apol.* 2. Cypriano *serm de lapsis* & Ambrosio *lib.* 1. *Offic.* Mensis vero communibus ministrabant non inferendo cibum potumque, sed dividendo eleemosynas inter egenos pro singulorum necessitatibus. *Baro l. c.* Quod munus etiam sequentibus sæculis Diaconos obiisse testantur S. Hieronymus *in Ezech. c.* 48. S. Ambrosius *de offic. Ecclesiast.* aliique.

2. Tertius Apostolorum cœtus, ex quo desumpta est Oecumenicorum Conciliorum formula in Ecclesia observata: *Visum est Spiritui sancto ac nobis. Act.* 15. celebratus anno Christi 49. ut existimat Labbè, vel ut alii 51. Claudii Imp. in Hierosolymis, unde & Concilium Hierosolymitanum appellari solet, cui interfuerunt Petrus ut Præses & Caput, Paulus, Joannes (ita colligitur ex Epistola Pauli *ad Galat. c.* 2.) & Barnabas, atque Seniores, qui casu aderant Hierosolymis. In hoc Concilio agitata est quæstio, & dirempta lis de Circumcisione à Gentilibus conversis simul cum Baptismate recipienda *Act.* 15. Statutum enim est, ut ex Gentilibus conversi non circumciderentur, nec alia cæremoniali lege Judaicâ obligarentur, sed abstinerent solum

lum ab immolatis simulacrorum & sanguine, suffocato, & fornicatione; Atque hæc fuerunt prima Juris Ecclesiastici decreta, quibus tria, quæ in lege Mosaica observata fuerant, fidelibus custodienda præcipiuntur: Primum, ut abstineant ab immolatis simulacrorum, seu idolothytis, ist est rebus Idolis immolatis *Orig. in Ep. 1. ad Rom.* ne nimirum participes fiant mensæ Dæmoniorum. Eamq; ob causam sequentibus sæculis varia Concilia & SS. Patres idolothyta vehementer execrantes hoc Decretum quoque confirmarunt; Ita ut S. Augustinus dicat de bono conjugali. *c.* 16. *Satius esse mori fame, quam idolothytis vesci.* & citatur. *c. Sicut.* 32. *q.* 4.

Secundum & tertium est, ut abstineant à Sanguine & suffocato, quod etiam habetur Can. 64. Apost. & confirmarunt Concilium Gangrense relatum in *cap. Si quis carnem Dist.* 30. Arelatense secundum *Can.* 2. Synodus Sexta *cap.* 67. aliaque apud Antonium August. *in Epito. l.* 21. Verum quæri hic poterit, cum præceptum illud sit Mosaicum cæremoniale, ut patet ex Deut. *c.* 2. Levit. *c.* 7. & 17. 1. *Reg. c.* 14. cur Concilium id imponere voluerit Christianis, quibus ciborum delectus est vetitus, ut probat Ba-

ronius ad annum 174. n. 32. & alibi? Respondet Balsamon *in can.* 67. *Synodi Sextæ* & Turrianus pro Canonibus *l.* 1. *c* 5. Præceptum illud Christianis impositum esse, ut facilius Judæi & Gentiles in unum Christum lapidem angularem necterentur, ut inquit S. Augustinus contra Faustrum *lib.* 32. *c.* 13. & in unum populum coalescerent; Cessante verò causa infirmitatis Judæorum præceptum quoque exoleviſse. Verum licet sic recte assignaretur causa prohibitionis factæ à Concilio illo Hierosolymitano, non tamen causa per hoc redditur, cur posterioribus temporibus, quando jam ratio allata cessaverat, præceptum à Conciliis & Patribus confirmatum sit. Quapropter Gonzalez Tellez in apparatu ad Decretales num. 37. assignat aliam causam hujus Decreti ex Tertulliano *in Apol. c.* 9. & Minutio in Octavio desumptam, nimirum cum primis Ecclesiæ sæculis Ethnici criminarentur Christianos, quod in Sacrificiis sanguinem haurirent occisorum infantum, audiverant enim ab iis sub speciebus panis & vini carnem & sanguinem sumi; Ideo Concilia & antiqui Patres, ut ostenderent fideles ab omni crudelitatis specie alienos esse, præcepisse ut sanguine & suffocato abstinerent. Quar-

Quarta Synodus habita est Hierosolymis anno Christi 56. vel ut alii 58. Cui solus Jacobus cum Paulo & Senioribus interfuit. *Act.* 21. In hac Synodo confirmata sunt decreta de gentibus ad fidem conversis superiore Concilio *Act.* 15. statuta, & Judæis credentibus permissus est ad tempus usus legalium, dummodo spem suæ salutis in illis non collocent, ut nimirum Synagoga paulatim cum honore sepeliretur, & non statim ut impia & mortifera damnaretur.

3. His decretis in dictis Apostolorum cœtibus confectis, accesserunt 50 Regulæ *Canones Apostolorum* nuncupati quos B. Clemens Romanus Apostolorum coætaneus & S. Petri discipulus ac Successor græcè conscripsit. Verum controvertitur de auctoritate istorum. Gelasius Pontifex in Concilio Romano Anno 494. apocryphos esse declarat. *c. Sancta Ecclesia Dist.* 15. *&. c.* 1. *&* 2. *Dist.* 16. At Tertullianus lib. adversus Praxeam, & S. Athanasius in Synopsi numerat eos inter agiographos; Joannes Damascenus quoque inter sacras Scripturas eos ponere videtur. *l.* 4. *de fid. orthod. c.* 18. Litem hanc dirimi posse putat Bellarminus *de Script. Eccles. n.* 92 si dicatur Canones legitimos esse solum quinquaginta

priores, quos ex Apostolicis traditionibus congessit & græcè conscripsit, ut dictum, Clemens Papa, ac postmodum anno 526. latinè reddidit Dionysius Scytha Abbas Romanus cognomento *Exiguus. Baron. an.* 102. *Barb. in c.* 1. *Dist.* 16. Reliquos vero posteriores esse apocryphos, cum ex illis nonnulli à græcis dolosè suppositi sint, nonnulli etiam ab Hæreticis corrupti, ut patet ex Can. 65. de Sabbato non jejunando, & 67. de baptizatis vel ordinatis ab hæreticis, & Can. ult. de numero librorum sacrorum. Qui tamen posteriores ferè omnes, præter prædictos, vel in literis Apostolicis, vel in Decretis Conciliorum, vel in scriptis SS. Patrum confirmati inveniuntur, ut ostendit Ganzalez *l. c. n.* 42 ideo ex horum auctoritate, licet non ex origine sua recipi pro authenticis possunt.

4 Nec obstat 1. Quod ex prioribus 50. videatur quintus Canon statuere pœnas segregationis & depositionis in Episcopum, Presbyterum & Diaconum, qui Religionis prætextu suam dimiserit Uxorem; Quia non præcipitur, ut conjugatus Clericus maritali commercio Uxori suæ cohabitet, sed ut ipsius curam habeat, eamque honestè sustentet juxta

ta præceptum S. Pauli 1. *ad Timoth. c.* 5. & exemplum S. Petri 1 *Corin.* 9.

Nec obstat 2. quod Canon 45. & 46. Baptismum ab hæreticis collatum indiscriminatim reprobare videatur; Quia rejicitur ibi Hæreticorum baptismus alia, quam instituta est à Christo, & utitur Ecclesia, formâ collatus, quale erat baptisma illud tempore Apostolorum in tribus Patribus, seu in nomine trium principii expertium, aut trium filiorum, vel trium Paracletorum, vel in morte Domini collatum, ut patet ex Can. 49. & 50.

Nec obstat 3. Quod S. Zepherinus Pontifex prima sua Epistola 60. vel ut alia habet lectio, 70 Sententias ab Apostolis præceptas esse scribat, quodque Can. 2. Sextæ Synodi universalis 85. Canones Apostolorum approbentur. Nam inprimis Epistola illa Zepherini viris eruditis supposititia videtur; Deinde 60 vel 70 illæ Sententiæ 50 Canonibus Apostolorum continentur. *Turret. l.* 1. *c.* 20. vel, ut putat Bellarminus *de script. Eccles. n.* 92. fortassis erratum fuit in numero sententiarum vitio librariorum. Demum sexta Synodus universalis nihil de numero horum Canonum definivit, quia nullos Canones edidit, ut patet

Act.

Act. 4. & 5. Concilii Nicæni II. allegatus autem Canon secundus est illegitimi Conciliabuli in Trullo habiti. *Bellarm. l. 1. de Conc. c. 7.*

7. Accesserunt Decretis Apostolicis constitutiones quoq; Apostolorum ab eodem Clemente Romano S. Petri Discipulo octo libris comprehensæ, ut titulus præfert, multiq; existimant, quamvis sub Judice lis sit, quis earum sit auctor; Hoc certum videtur antiquissimum esse & ut existimat de Marca *Concord. l. 3. c. 2.* codicem illum erudito scriptori, qui tertio saltem sæculo floruerit, vindicandum. Multa quidem utilia continent, magnoque in pretio à Græcis veteribus fuerunt, ut non dubitet Gabriel Albaspineus Episcopus Aurelianensis *l. 1. Observ. c. 13.* quin olim Ecclesia Græca eas pro legibus, manuali, pontificali seu rituali, ut vocant codice habuerit. Æthiopes quoque eos libros vere Apostolicos æstimare testis est Bellarminus *de script. Eccl. in Clemente, n. 92.* At vero à posterioribus Græcis in Concilio Trullano *Can. 2.* tanquam ab hæreticis depravatæ reijciuntur. Nec magnæ sunt auctoritatis in Ecclesia latina, quod in iis nævi quam plurimi reperiantur, & ab hæreticis græculis multa perperam relata, nonnulla adulterata atque

que corrupta fateantur Baronius, Bellarminus, Petronius, Sirmondus, Petavius, Labbè aliique ſcriptores Catholici.

6. Subinde cum inſequentes Eccleſiarum Rectores ad exemplum Apoſtolorum in rebus controverſis & ambiguis vel Synodi alicujus, vel S. Pontificis definitionem exquirerent, decretaque literis, ne oblivioni traderentur, conſignarent, factum eſt, ut numerus Conſtitutionem & Canonum, non alio quam temporis ordine annotatorum in ingentem molem excreverint. Ex quibus proinde pro faciliori eorundem notitia & uſu compoſita eſt Collectio, quam Nicolaus Papa *in cap. Si Romanorum diſt.* 19. *Codicem Canonum* vocat, & Regulæ illæ, quæ à Leone IV. *in c. de Libellis diſt.* 20. recenſentur. Hunc Codicem Canonum dono dedit circa annum 787. Adrianus primus Pontifex Carolo Magno, qui eos obſervari in Gallia, & capita Decretorum in Capitulare Aquisgranenſe confectum anno 789. referri juſſit. *Sirmundus tom. 2. Conc. Gall. ad annum* 787. Hujus Codicis auctorem complures volunt Dionyſium eſſe Exiguum. Hic enim Dionyſius Monachus Scytha natione, ſed moribus Romanus in utraque lingua do-

doctissimus, ut refert Cassiodorus *de divinis lect. cap.* 23. Cognomento *Exiguus* circa annum 526 fecit collectionem sacrorum Canonum Græcis in latinum idioma translatis, in qua Præsulum sedis Apostolicæ constituta incipiendo à Syricio usque ad Hormisdam complexus est, & in aliquem redacta ordinem titulis suis distinxit, ut ipsemet testatur in Epistola ad Julianum Presbyterum, quibus deinde addita sunt Decreta Gregorii II. *Petrus de Marca lib. 3. c. 3.* Sub idem tempus elaboravit Fulgentius Ferrandus Diaconus Carthaginensis aliam collectionem, in qua citantur solum, non recitantur Canones diversorum Conciliorum, quod opus Cresconius in sua collectione *Breviarium* appellat, & mentionem illius facit Baronius *ad an.* 527. *n.* 87.

Hunc secutus Martinus Ordinis S. Benedicti ex Abbate Monasterii Dumiensis Ecclesiæ Braccarensis Episcopus, Pannoniâ oriundus *Greg. Turor. Hist. Franc. l. 5. c.* 38. qui postquam scripsisset anno 571. *Collectionem Canonum* ex græcis Synodis, vivere desiit circa annum Christi 573 prout Baronius testatur. Hos Canones ex ista Martini Braccarensis collectione

lectione transscriptos citat plerumque Gratianus in Decreto suo sub nomine Martini Papæ, pro ut ostendit congerendo textus Antonius Augustinus in Gratian. *Dial.* 10. 11. & 12. Deinde Cresconius Episcopus Africanus dedit ad Liberium Pontificem Nomorenon seu Concordiam Canonum, vel librum Canonum ut est in MS. in quo explicat, quibus Synodorum & Epistolarum Decretalium locis causæ illæ, quarum proponit titulos, tractentur. Hos secutus est Isidorus quidam Hispanus, qui ex antiquorum Pontificum Epistolis, & Conciliorum Canonibus, facto initio à Canonibus Apostolorum usque ad Concilium Hispalense secundum, quod celebratum est anno Christi 657. collectionem confecit.

7. Sed duæ hic oriuntur quæstiones; Prima est, quis fuerit Isidorus ille, & auctor hujus collectionis? Altera, quæ sit auctoritas Epistolarum in hac Collectione comprehensarum? Ad primum certum videtur non fuisse Compilatorem Isidorum Episcopum Hispalensem, prout nonnulli existimant, tum quia meminit in opere suo Concilii Toletani II. habiti anno 975. & Concilii VI. celebrati anno 681. adeoque scripsit quadragin-

draginta & pluribus annis post obitum Isidori Hispalensis, qui vivere desiit 636. Tum quia inseruit Collectioni suæ Epistolas Gregorii II. & III. nec non Zachariæ, qui post annum 700. in Sede Apostolica sederunt. Neque etiam hæc Collectio inter opera Isidori Hispalensis à SS. Braulio & Ildephonso, nec non à Grialio & Loäysa, qui ea ex vetustis exemplaribus luci dederunt, recensetur. Quare alii viri docti M.S. Codices secuti non improbabiliter putant, Isidorum Mercatorem Episcopum Setubensem Collectionis hujus auctorem fuisse, quod confirmat Chronicon Juliani Toletani editum Parisiis à Laurentio Ramiretio, in quo refertur Isidorum istum Episcopum Setubensem ope cujusdem Monachi Compilationi operam dedisse obiisseque anno 805. Et Luitprandus in Chronico Anno 719. his verbis: *Isidorus Setuvitanus, qui interfuit Concilio* 16. *Toletano composuit ordinem Concilii, & collectionem Conciliorum, quæ dicitur Isidori Peccatoris.* Quod vero Compilator iste à nonnullis Isidorus *Peccator* appelletur, factum id esse censendum est, quod olim Episcopi quidam se ipsos in Conciliis *Peccatores* in-

inscribere consueverint, ut patet ex Concilio Turonensi I. Parisiensi III. Turonensi II. & Matisconensi I. quod eo pronius est suspicari factum hic fuisse ob utriusque nominis similitudinem, cum duabus solum literis mutatis *Mercator* sit *Peccator*.

8. Quod attinet ad auctoritatem Epistolarum illarum Decretalium, quæ in hac Collectione proferuntur, defendunt nonnulli, quos inter præcipui sunt Franciscus Turrianus & Severinus Binnius, genuinas esse illorum Pontificum, quorum nomina præferunt. Alii eruditissimi Scriptores Catholici, ut Baronius, Bellarminus, Peronius, Sirmondus, Petavius, Philippus Labbè rectius eas velut indubitatas non admittunt, vel ut confictas plane reijciunt. Ad hoc moventur variis inducti rationibus. 1. Quod elegantiam & nitorem secundi Sæculi, quo datæ dicuntur, non referant. 2. Quod in omnibus Epistolis idem stylus eademque scribendi norma servetur, ut non à pluribus, sed ab uno conscriptæ esse videantur. 3. Quod ex usu vulgatæ scripturarum versionis frequentissimè arguatur post S. Hieronymi ætatem exaratas esse. 4. Quod S. Hieronymus earum non meminerit in Catalo-

go

go Scriptorum Ecclesiasticorum, adeoque ipsi incognitæ fuerint 5. Quod Dionysius Exiguus, qui veterum Pontificum Epistolas summa diligentia collegit, illas tamen in Compilatione sua omiserit. 6. Demum, ut primus observavit Antonius Augustinus in Notis ad Capitula Hadriani, quod in Epistolis illis reperiantur ipsa Legum Imperatorum verba & scholia quædam, quæ sub Aniani nomine extant ad Codicem Theodosianum, cum tamen Pontifices, quibus Epistolæ adscribuntur duobus & tribus etiam sæculis editionem Codicis illius præcesserint. His motus argumentis Bellarminus *l.* 1. *c.* 14. *de Rom. Pontif.* inquit, has Epistolas *indubitatas esse affirmare non audeam.* Et Baronius *ad annum* 862. *n.* 5. *Ex multis eas reddi suspectas Epistolas.*

9. Post Isidorum scripsit S. Burchardus ex Monacho S. Benedicti Lobii Episcopus Wormatiensis Patria Hassus circa annum Christi 1020. viginti libros Decretorum, meliori quam Isidorus ordine Conciliorum Canones, Pontificium Epistolas, SS. PP. Sententias, & Imperatorum sanctiones digerendo; Plurima enim, quod nemo ante illum fecerat, ex Digestis, Codice & Novellis

tran-

transcripta in Collectionem suam retulit. Post illum aliam fecit Collectionem Deusdedit Cardinalis, quam Polycarpus scripsit, ejusque meminit Baronius Tom. II. anno 1086. Ac sub idem ferè tempus suam quoque edidit Anselmus Mantuanus Episcopus Lucensis, de quo Bellarminus *de Script. Eccles.*

Post hos Ivo Gallus ex Præposito Monasterii Quirini Belvacensis Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Episcopus Carnotensis edidit Volumen Decretorum circa annum Christi 1090. in quo multa quoque ex Pandectis & Codice Justiniani admiscuit, quod volumen in compendium contraxit Hugo Catulaunienſis & *Pannoniam* seu *Panormiam* appellavit.

Demum omissis aliis Photii, Harmenopoli, Siagrii & aliorum Gratianus Monachus Benedictinus videns multa in aliorum Collectaneis vel superflua, vel contraria congesta esse, multaque etiam in iis desiderari, ex cæterorum Collectionibus magnum volumen compilavit, quod *Concordantiam discordantium Canonum* inscripsit, propterea quod dissidentes inter se Canones conciliarit. Sed de hoc Auctore ejusque opere uberius infra.

Cum

Cum vero nova passim Concilia in Ecclesiis celebrarentur, & novæ quotidie ederentur Constitutiones, nonnulla etiam ex antiquis Conciliis & Decretalibus in Gratiani volumine omissa notarentur, Bernardus Balbus Præpositus Papiensis ac postea Episcopus primum Faventinus, deinde Papiensis novas illas Decretales usque ad Cœlestinum III. in unum corpus insertis plurimis antiquorum Canonibus & Epistolis, redegit, & hæc *Prima* dicta est *compilatio Hostie. Jo. Andr. in Proœm. Decret.* Hanc deinde excepit *Secunda compilatio* tentata quidem à Giliberto Abbate, & Alano Episcopo Altissiodorensi, sed perfecta à Magistro Joanne Gallensi seu Walensi, prout appellat eum Jo. Andr. *in Proœm. Decr. n.* 16. Volterris nato quæ pertingit, usq; ad Innocentii III. tempora. Istam subsecuta est *Tertia compilatio* primum à Bernardo Archi-Diacono Compostellano privata auctoritate facta Romæ, unde & *Romana* dicta est, ac subinde à Petro Beneventano Subdiacono & Notario Innocentii III. ejusdem Innocentii jussu absoluta fuit. Cum vero tertia hæc Compilatio eas tantum Constitutiones complecteretur, quas Innocentius usque

ad

ad duodecimum sui Pontificatus annum ediderat, aliud quoque volumen ex posterioribus hujus Pontificis Constitutionibus & Lateranensis Concilii Canonibus, ut videtur à Tancredo Bononiensi Archidiacono emanavit, & *Quarta Compilatio* dicta est. Postremo accessit *Quinta Compilatio* mandato Honorii Papæ III. ex ipsiusmet Honorii Constitutionibus confecta. *Greg. Toles. in Part. Jur.*

Prædictas compilationes novissimè redegit Gregorius IX. in unum volumen quinque libris distinctum per Raymundum à Pennafort, & Decretales inscribuntur, prout pluribus dicetur infra *cap.* 23. Quinque libris Decretalium accesserunt postmodum liber sextus Decretalium, Constitutiones Clementinæ & Extravagantes, quæ Corpus Juris Canonici constituunt. Annexus est illi postremis hisce temporibus Liber septimus Decretalium, sed privata solum industria collectus, nec ullam hucusque habet approbationem summi Pontificiis, quæ omnia infra *c.* 24. & 25. copiosius prosequemur.

CAPUT XII.

De Principiis ex quibus derivatum est Jus Canonicum, ac primò de Scriptura Sacra.

Primus fons est S. Scriptura; Dicitur hæc verbum DEI & Canon. Qui libri Canonici. Sacra scriptura dictata à DEO quo ad sensum & verba; Ejus auctoritas; Quæ contineat præcepta; An hæc omnes obligent. Traditionum auctoritas & vis obligandi.

1.

JUs Canonicum, quemadmodum Civile dividitur in Scriptum & non Scriptum seu Consuetudinarium, vel in id quod legibus aut moribus constat. Jus scriptum depromptum est ex quinque potissimum fontibus: Ex sacra scriptura, Decretis Conciliorum auctoritate Papæ confirmatorum, Constitutionibus summorum Pontificum, Sententiis SS. Patrum, & Placitis Principum sæcularium.

Primo ergo desumitur hoc jus ex sacra Scriptura, nam *ex auctoritatibus veteris & novi Testamenti processerunt Canonicæ sanctiones.* c. Qualiter 24. de accus,

cus. Hæc Scriptura variis nominibus appellatur. *Serarius Proleg. Bibl. c. 25.* Nos duo tantum ad propositum nostrum proferemus, quod sit verbum DEI & Canon. Verbum DEI dicitur *Exod.* 4. 30. *Num.* 4. 41. *Et* 1. *ad Thessal.* 2. Et quod revera tale sit, non nisi ex traditione, & auctoritate Ecclesiæ id asserentis nobis innotescit; Ideo S. Augustinus *Epist. fund.* 53. ait: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me commoveret auctoritas.* Est vero verbũ Dei aliud scriptũ aliud nõ scriptũ; Per hoc regebantur homines non solum à mundo condito annis 2669. priusquam Moyses libros suos conscripsit, eratque verbum, quo allocutus est DEUS Adamum Abrahamum, reliquosque Prophetas, sed etiam in principio nascentis Ecclesiæ post ascensionem Christi annis omnino septem, nimirum ab anno 34. usque ad annum 41. quibus nec Evangelium nec Epistola literis consignata fuit.

Scriptum per Antonomasiam dicitur Scriptura vel Scripturæ sacræ *Ps.* 86. *Eccles.* 44. 5. *Jo.* 2. 22. *Ad Rom.* 4. 3. Estque ad instar Epistolæ à DEO ad nos missæ per quam nobiscum loquitur: *De civitate à qua peregrinamur scriptæ*

nobis venere literæ, inquit S. Auguſt. *Conc. 2. in Pſal.* 90. & continetur in libris Canonicis mox referendis.

Dicitur deinde *Canon Iren. l. 4. c. 69. Chryſ. Hom. 14. in Gen.* Canon vero duo ſignificat: Normam ſeu regulam, & Catalogum ſeu Numerum aliquarum rerum. Utroque ſenſu verbum DEI ſeu ſacra Scriptura eſt Canon, quia & Regula eſt omnium rectiſſima, veraq; credendi & vivendi norma, & continet in certo ordine & numero libros, qui à Spiritu ſancto dictati, & ut tales ab Eccleſia recepti ſunt, ideoque Canonici appellantur. *Innoc. Epiſt. 3. ad Exuperium Conc. Laodic. can.* 59. Hi ſunt alii veteris, alii novi Teſtamenti; Veteris ſunt: *Quinque Moyſi, id eſt: Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, Duo Paralepomenon, Esdræ primus & ſecundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Heſter, Job, Pſalterium Davidicum* 150. *Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodeçim Prophetæ minores*, id

eſt,

est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus.

Novi Testamenti sunt: *Quatuor Evangelia: Secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem: Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti: Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli; ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.* Hos omnes tanquam divinos & Canonicos recipit Concil. Tridentinum *Sess.* 4. Accepit autem illos à Florentino in Decret. Eugenii; Hoc à Gelasio Papa *c. Sancta Romana dist.* 15. Ille ab Augustino *l.* 1. *Doctr. Christ. c.* 8. & Innocentio I. *Epist. ad Exuper.* Isti ab Antecessoribus, & hi ab Apostolis, Apostoli demum vetus Testamentum à Synagoga. Vocantur vero hi libri Testamen-

tum, quod pactiones DEI cum humano genere initas contineant. S. Hieron. in *c. 3. ad Gal.*

Nec dicas: Nonnullos SS. Patres de quorundam librorum auctoritate dubitasse, & plures etiam non reperiri in Canone Judæorum, ideoque quosdam dictos esse *Deutero-Canonicos* ex eo haud dubiè, quod parem non haberent cum aliis auctoritatem; Nam PP. de auctoritate quorundem dubitantes, vel non inspexerunt Canonem Ecclesiæ, vel priusquam is conficeretur, è vivis excesserant. Quod autem aliqui non reperiantur in Canone Judæorum, causa est, quod hi post Esdram scripti sint, qui Canonem Hebræorem postremus consignavit. Cum vero reperiantur in Canone Ecclesiæ, quæ non minorem habet auctoritatem in consignando Canone, quem habuerit Synagoga, æquè ac cæteri recipiendi sunt, nam ut inquit S. Augustin. *l. 3. Epist. fund. c. 5.* de Actibus Apostolicis loquens: *Necesse est, me illi libro credere, uti credo Evangelio, quoniam utramque scripturam similiter mihi Catholica commendat Ecclesia.* Porrò dicti sunt nonnulli *Deutero-Canonici*

nonici non ob defectum auctoritatis, sed quod posterius relati sint in Canonem.

2. Quæcunque in supradictis libris Canonicis continentur ea omnia DEO dictante exarata sunt, & nihil in iis humano spiritu conscriptum est. *Basil. Hom.* 10. *in Exametron.* Si enim in sacra hac scriptura humana divinis miscerentur, plurimum de veritate & auctoritate illius decederet; Cum enim certa ab incertis difficulter discerni possint, omnia falsitatis suspicioni obnoxia forent, *cap. Si ad scripturas dist.* 9.

Nec obstat 1. quod Auctor libri Machabæorum ad finem operis errorum veniam petat, & *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 27. dicat se negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsisse; Non enim petit veniam erroris inconscribenda Historiæ veritate, sed inscriptionis elegantia commissi, neque labor & ansa meriti sublata est per DEI assistentiam in scribendo veritatem.

Nec obstat 2. Evangelistas loca veteris Testamenti referentes non iisdem uti verbis & diversas in historiis narrari circumstantias; Atque etiam Matt. 27. Hieremiam pro Zacharia citari. quia diversa verba non magis officiunt veritati

tati quam diversi calami quibus eadem res scribitur. Accedit quod, cum nimia Testium Concordia in circumstantiis parvi momenti suspecta sit. *l. 3. Testium fides ff. de Testib.* dici possit voluisse DEUM scriptores Sacros in sensu semper conformes esse, in verbis aliquando discrepare. Quod vero apud Matthæum Hieremias pro Zacharia citatur, factum id est, ut intelligamus omnium Prophetarum dicta esse communia, quia eodem spiritu DEI afflati vaticinia ediderunt. *S. Hier. & Beda ad hunc locum S. Aug. l. 3. de cons. Evang. c. 7.* Maldonatus etiam non sine fundamento asserit Matthæum nullius Prophetæ nomen retulisse, sed solum dixisse, ut alias sæpe: *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam.* Alium vero scriptorem, quod putaret Hieremiæ citari testimonium illius proprium nomen addidisse; Tum quia S. Augustinus *l. c.* testatur suo tempore in multis codicibus nullum nominatum fuisse Prophetam, tum quia in versione Syriaca nomen Hieremiæ non legitur.

3. Jam vero non sensum tantummodo, sed etiam verba sacræ Scripturæ dictavit Spiritus Sanctus. De sensu defi-

definivit Tridentinum *Sess.* 4. & docet S. Paulus 2. *ad Timoth.* 3. *& ad Hebr.* 1. Item S. Petrus *in Epist.* 2. *c.* 1. De verbis licet nonnulli dubitaverint, id ipsum sentit S. Augustus, *Serm.* 2. *in Psal.* 90. Bellar. *de verbo DEI c.* 2. & est receptissima Patrum sententia; Id enim conveniens fuit ad majorem dignitatem, & excellentiam scripturarum. Poterat vero Spiritus Sanctus dictare verba vel imprimendo species infusas, vel excitando præexistentes in mente Scriptoris, ut verborum, quæ scribenda erant conceptus efformaret. Atque hanc ob causam sacræ Scripturæ veritates excellentiori modo scriptæ censentur, quam Conciliorum & Pontificum definitiones in materia fidei, quia in his sufficit Spiritus sancti assistentia, quæ removeat objecta & rationes, quæ illos infalsitatem deducere possent, relictis scriptoribus uti suis speciebus & industria modo in Decretis præscribendis usitato.

Neque calumnientur Gentiles & despiciant Scripturam sacram, quod nullo verborum flore & ornatu sit insignis; De industria namque voluit Divina Sapientia res admirandas, cœlestes ac divinas sub sermone inornato ac simplici tanquam ignobili tegumento occultare,

nec

nec eas verborum lenociniis & pigmentis exornare, quasi sine his veritas divina fidem & auctoritatem apud homines non esset repertura : *Sermo meus*, inquit Apostolus 1. *ad Corinth.* 2. *v.* 4. *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & veritatis.* Pretiosi unionès despicabili etiam concha operiuntur.

4. Ex his patet dignitas & auctoritas sacræ Scripturæ, quod nimirum sit Regula fidei, morum & rerum à nobis agendarum infallibilis ; Cum enim sit verbum DEI necesse est, ut optima sit Regula veritatis, quam in credendo sequi oporteat, nulla namque est certior Regula, quam DEI auctoritas, quæ in verbo ejus & sacra Scriptura continetur. Quare quemadmodum fieri nequit, ut DEUS mentiatur : *Non enim est DEUS ut homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Num. 23. Et *ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri DEUM firmissimum solatium habeamus*, *ad Hebr.* 6. Ita nec fieri poterit, ut mendacium aliquod in Scriptura reperiatur, prout pluribus ostendit S. Augustinus *Epist.* 19. *ad Hieron. & l.* 11. *contra Faustum c.* 2. alioquin si vel

in

in minimo veritas Scripturæ deficeret, tota ejus auctoritas laberetur; *Admisso enim*, inquit Augustinus Epist. 8. ad Hier. *in tantum auctoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, quæ non possit in dubium vocari, & ideo si in illis* (pergit ibidem) *aliquid offendero, quod videatur veritati contrarium, nihil aliud, quam mendosum esse codicem, vel interpretem non esse assecutum, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam.*

Deinde cum Scriptura sit *Canon*, est Regula qua nostra infirmitas gubernatur ut docet S. Augustinus *l. 2. contra Crescon. c. 32. & l. 11. contra Faustum c. 5.* dictatque quid nos agere, quid cavere oporteat. An vero hæ Regulæ Jus constituant universale & perpetuum, quod omnes omni tempore obliget, nunc videndum erit.

5. Præcepta quæ in sacris literis hominibus præscribuntur, vel sunt veteris vel novæ Legis seu Testamenti, id est vel sunt Mosaica vel Evangelica. Veteris legis præcepta sunt triplicia, ut capite quoque præcedente attigimus: Mo-

Moralia, cæremonialia, judicalia. Moralia docent DEUM esse colendum, & non inferendam proximo injuriam, quod cum ratio quoque naturalis dictet, sunt juris etiam naturalis *S. Thom.* 1. 2. *q.* 100. *a.* 1. Cæremonialia determinant speciatim quibus ritibus sit DEUS colendus. Judicialia præscribunt quibus modis sit servanda Justitia inter homines; Quæ cum pendeant ex arbitrio & potestate Legislatoris, ideo Cæremonialia & Judicialia eo tempore, quo visum fuerit Legislatori, & ab iis, quos ipse obligaverit, observanda erunt. Præcepta veteris legis data sunt soli populo Judæorum, ut constat *ex cap.* 19. *& seqq.* Exodi, ac illo Deuter. 4. v. 8. *Quæ est alia Gens sic inclyta. ut habeat cæremonias justaque judicia.* Docetque S. Thom. 1. 2. *q.* 98. *a.* 4. Quapropter solum illum populum obligabant tanquam Jus civile Hebræorum, ut illud appellat Philo Judæus in libro de Joseph. Hinc est quod Gentiles, licet tunc obligarentur præcepto naturali, & hodiedum obligentur, non tamen fuerint obstricti præceptis Mosaicis *S. Thom. l. c. a* 5. cum hæc non fuerit illis imposita & promulgata, & sine observantia illorum multi consecuti sint salutem & gratiam. *S. Dionys. c.* 9. *cæ-*

lest.

lest. Hierar. Si quivero ex Gentilibus volebant se aggregare populo Judæorum prout multi fecerunt. *Esth.* 8 *v.* 17. admittendi erant, & exinde obligabantur. *Exod.* 12. *v.* 48. *S. Th. l. c. a.* 5. *ad* 3.

6. Sed nunc Lex vetus quo ad præcepta cæremonialia & judicialia abrogata est: *Lex & Prophetæ usque ad Joannem. Luc.* 16. *v.* 16. quia *translato Sacerdotio necesse est ut & legis translatio fiat. ad Hebr.* 7. *v.* 12. *Et supervacaneus est lychnus, si Sol apparuerit: supervacaneus Pædagogus iis, qui perfectam acceperunt Sapientiam. Theodoretus ad Philip.* 3. Quo ad cæremonialia certum est, ut tradit Innocentius III. *in c. unic. de purif. post part.* S. Augustinus *l.* 6. *contra Faustum.* S. Thomas *l. c. q.* 103. *a.* 3. quia erant figura & umbra *ad Coloss.* 2. quæ cessare debent adveniente veritate. Attamen quia Cæremoniæ aliæ erant tantum Religiosæ, ut purificatio post partum, aliæ Religiosæ simul & typicæ, ut Sacrificia & holocausta, ideo prioris generis cæremoniæ suscitari ab Ecclesia potuernnt, ut dicitur in Titulo de purificatione post partum; At cæremoniæ quæ Religiosæ simul sunt & typicæ nulla possunt lege Ecclesiastica aut

sæ-

sæculari ad usum reduci, mortuæ enim sunt & mortiferæ, nec Sol umbræ, aut Synagogæ Ecclesia conjungi potest. *S. Thom. l. c. q.* 104.

Quo ad Judicialia Lex vetus quoque abrogata fuit. *S. Tho. q.* 104 *a.* 3. Nam Christus *legem mandatorum evacuans ad Eph.* 2. Rempublicam illam Judaicam evertit, cum populus ille post Christi adventum desierit esse populus peculiaris DEI, adeoq; & leges sustulit, quæ ad Politicum illius statum & regimen pertinebant, cujusmodi erant præcepta Judicialia. Probabilius quoque est, præcepta Moralia non quidem absolutè & secundum se spectata, sed prout à Moyse tradita & promulgata erant, & ex ejus promulgatione vim habebant, abrogata esse. *Suaz. l.* 9. *c.* 11. *de Leg.* tum quia Scriptura loquens de lege Mosaica passim indicat totam legem veterem per legem Evangelicam generatim abrogatam esse; Tum quia omnis Lex à Moyse tradita solum directa fuit ad populum Israeliticum, adeoque ipsa per se constitutâ novâ lege obligare vi illius promulgationis desiit; At vero cum præcepta denuo à Christo tradita, & accuratius perfectiusque observanda in nova lege proposita sint, *Matth.* 5. Hinc est

est, quod nunc quoque iis omnes obstringantur non tantum ex lege naturæ, sed etiam ex confirmatione facta per Christum.

7 Nec obstat 1. quod lex Moysis passim vocetur pactum, præceptum, fœdus seu legitimum sempiternum. *Exod.* 24. 30 & 31. *Levit.* 10. 16. 17. *Baruch.* 4. v. 1. Lex enim illa sempiterna dicitur, quo ad rem significatam, licet quo ad significationem tanquam umbra adveniente veritate interierit. Quo ad rem enim significatam Christus legem impleviſſe non solviſſe dicitur. *Matt.* 5. promissa exequendo, præcepta Moralia plenius interpretando, cæremonias significantius exhibendo, per judicialia denique præmia & supplicia corporea seu temporalia in spiritualia & æterna commutando *Maldonatus in cit. c. 5. Matt.*

Nec obstat. 2. quod præceptum solvendi decimas, quod cæremoniale erat, adhuc servetur, imo abrogari non possit, cum Juris sit divini. Nam licet Decimæ materialiter spectatæ, quatenus sunt stipendium necessarium ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ jure naturali & divino sint debitæ, dignus enim est operarius cibo suo. *Matt.* 10. v. 10. & 1. *ad Cor.* 9. v. 7. 11. & 17. atque sic abro-

abrogari non possint, formaliter tamen spectatæ secundum certam quotam debebantur solum in lege Mosaica Levitis jure positivo. *Levit. c. 27.* adeoque præceptum qua parte positivum erat cessavit quo ad obligationem suam, ut jam in lege nova debeantur Decimæ jure solum positivo Ecclesiastico. *S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 1.*

8. Lex nova seu Evangelica omnes omnino homines obligat, nam Christus Legislator inquit *Matt. 28. v. 19. Data est mihi omnes potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos &c. Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi nobis.* Directe ergo necessitate præcepti illi subijciuntur omnes adulti, quamvis multi eorum per ignorantiam excusentur à culpabili transgressione hujus legis, sic tamen ut absque iis, quæ simpliciter necessaria sunt necessitate medii salvari non possint. Infantes vero non obligat hæc Lex directè per modum præcepti, sed indirecte solum, quatenus in ea præscribitur certum aliquod salutis remedium, nempe Baptismus, sine quo salutem nemo consequitur.

Porrò Lex nova secundum se & quo ad

ad ejus obligationem spectata immutabilis est in hac vita, & duratura usque ad finem mundi : *Nam prædicabitur hoc Evangelium regni in universo Orbe in testimonium omnibus gentibus & tunc veniet consummatio.* Matt. 24. v. 14. Nec est ratio cur mutetur aut abrogetur, nam ideo constituitur à DEO lex, ut homines perducat ad cœlestem beatitudinem, quod hæc perfectissimè præstat. *S.Th. q.* 106. *a.* 4. In altera vero vita cessabit lex & ejus obligatio quo ad materiam aliquorum præceptorum conjunctam cum imperfectione, puta fidei, Sacramentorum & Cæremoniarum, quæ futura bona æternæ vitæ præsignificant; Nam *cum venerit quod perfectum est : evacuabitur quod ex parte est.* 1. ad Cor. 13. v. 10.

Inter omnes vero *divinas auctoritates, quæ sacris Literis continentur Evangelium merito excellit ; Quod enim Lex & Prophetæ futurum prænuntiarunt hoc redditum & completum in Evangelio demonstratur.* ait S. Augustinus *l.* 1. *de consen Evang, c.* 1. & S. Basilius Homil. 16. *Omnis*, ait, *Evangeliorum vox reliquis omnibus sancti Spiri-*

tus præceptis eminentior esse dignoscitur. Idque multis ex causis: I: quia legis promulgator fuit Moyses merus homo, Evangelii Christus verus DEUS & homo; Nam *Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris* scilicet Moysis *ad Galat.* 3. 19. *Evangelium* vero *Dominus noster JESUS Christus DEI filius proprio ore primum promulgavit.* Trident. *Sess.* 4. II. Lex erat umbra, *umbram enim habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum* inquit Apostolus *ad Hebr.* 10. 1. At Evangelium est ipsa veritas per legem adumbrata, ideo Apostolus 2. *Cor.* 3. 10. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur tanquam à Domini Spiritu.* III. Lex erat onus grave, *quod neq; Patres nostri, neque nos portare potuimus,* inquit S. Petrus *Act.* 15. *v.* 10. Evangelium vero leve; *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve,* inquit Christus *Matt.* 11. *v.* 30. IV. Lex data fuit solis Judæis eratque temporanea, Evangelium vero prædicabitur per universum mundum omnibus gentibus, & permanebit semper, eritque æternum

ut

ut dictum est. Quæ omnia aliaque in hanc rem fusius prosequitur Cornelius à Lapide in Proœm. in Evangelia.

9. Et hæc de verbo DEI scripto; Nunc de non scripto seu Traditionibus videamus, an jus aliquod constituant, quo homines obligentur. Traditio licet nomen sit generale, hic tamen sumitur pro doctrina non scripta, non quod nullibi unquam literis consignata sit, sed quod non sit scripta à primo auctore solaque voce prodita ad nos veluti per manus pervenerit, etsi posteri eam scripto subinde complexi sint. *c.* 5. *dist.* 11.

Sunt vero non tantum in nova lege Traditiones, sed etiam Judæi in veteri Testamento suas habebant, easque duplices: Nam aliæ erant Pharisæorum, quas Christus sæpius in Evangelio reprehendit; Aliæ Mosaicæ quæ laudabiles erant. Pharisaicæ quædam erant ex suo genere bonæ: Ut frequenter jejunare & orare: *Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, Discipuli autem tui non jejunant?* *Matt.* 9. *v.* 14. *Quare discipuli Joannis jejunant frequenter & obsecrationes faciunt, tui autem edunt & bibunt?* *Luc.* 5. 33. Reprehendit tamen ob illas Christus Pharisæos, quia ex

earum obſervatione quærebant inanem gloriam ; *Omnia vero opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus* Matt. 23. v. 15. hinc *Hypocritæ* paſſim in Evangelio vocantur, & *ſepulchra dealbata*; Quædam erant indifferentes & inutiles, ut frequenter inter comedendum lavare manus. *Phariſæi & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus non manducant , tenentes Traditiones Seniorum* Matt. 7. 3. & ob has reprehenduntur Phariſæi, quia ſuperſtitioſe minutiora quædam ſervabant, & majora negligebant. Aliæ demum erant impiæ & malæ : Ut jurare per templum aut altare non eſſe malum, de his Chriſtus : *Væ vobis Duces cæci, qui dicitis : Quicunque juraverit per templum nihil eſt. Et quicunque juraverit in altari nihil eſt.* Matt. 23. Item non honorare parentes, nec illis bene facere. *Matt.* 15. v. 4.

Jam vero hæ Traditiones quæ hominum appellantur *Matt.* 15. & vanæ à S. Petro *Epiſt.* 1. c. 1. v. 18. nullum jus Chriſtianis nunc conſtituunt ; Nam ſi bonæ fuerint Traditiones vel indifferentes evacuata eſt virtus illarum, & tanquam umbræ diſſipatæ ſunt per legem

& Traditiones novæ legis, prout dictum est de abrogatione præceptorum veteris Testamenti. Si vero malæ fuerint effectum moralem legis non habuerunt, nam legem divinam, quæ prohibet facere malum, abrogare illicitum est. *Abbas cum Glos. & aliis in c. ult. de consuet.* Et licet materia talis Traditionis mala esset solum quia prohibita, adeoque non repugnaret ex ea parte per consuetudinem introduci, si tamen prohibitio divina sit, non possunt eam homines infringere, cum non possint mutare DEI voluntatem, aut contra eam præscribere. Nec censendus est DEUS connivere aut tollere in eo casu legem suam, cum nullum suppetat fundamentum id præsumendi, deceatque divinam auctoritatem leges tulisse immortales. Traditiones Mosaicæ erant tres præcipuè; Prima, quod libri in Canone Judæorum consignati sint divini. Secunda quod fœmellæ habuerint remedium contra peccatum originale. Tertia quod cruenta ipsorum Sacrificia significaverint mortem Christi.

10. Traditiones novi Testamenti retinendæ sunt, nam ut inquit Apostolos 2. *Thess.* 2. 14. *Tenete traditiones, quas accepistis, sive per Sermonem, sive per*

Epistolam. Et in hunc locum S. Chrys. *hom.* 4. *Perspicuum est non omnia Apostolos tradidisse per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque esse fide digna: Quamobrem & Ecclesiæ quoque Traditionem censeamus esse fide dignam.*

Distinguuntur Traditiones à principiis, ex quibus proveniunt, & à materia, quam tradunt. A principiis, aliæ sunt Traditiones Divinæ, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ; Divinæ acceptæ sunt à Christo Apostolos docente, suntque ea, quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent, quia Sacramentorum essentia non nisi à Christo institui & determinari potuit; Atque illæ constituunt jus divinum, licet per consuetudinem, quæ novam Juris obligationem illis non addidit, conservatæ sint, adeoque jus illud universale est & immutabile, & eandem habet vim, quam divina præcepta in Evangeliis tradita.

Traditiones Apostolicæ dicuntur illæ, quæ ex Apostolorum præceptis manasse creduntur, nec tamen in eorum scriptis exaratæ sunt, quales sunt: Trina immersio eorum qui baptizantur, Jejunium Quadragesimale & quatuor tem-

porum

porum, aliaque quam plurima, quæ parem vim habent & auctoritatem, quam quæ scripta nobis Apostoli reliquerunt. *c.* 5. *Dist.* 11. ideoque Traditiones Apostolorum relinqui non possunt ab iis, qui volunt dici Christiani. *c.* 2. *de Const. c. Ridiculum est Dist.* 12.

Ecclesiasticæ Traditiones sunt consuetudines antiquæ à primis Ecclesiæ Pastoribus, & fidelibus ad nos deductæ, quæ tacito populorum consensu vim legis obtinuerunt, de quibus Augustinus *Epist.* 118. *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, comendata atque statuta retineri; Sicut quod Domini passio & Resurrectio & Ascensio in cælum anniversaria solennitate celebrantur. Et siquid aliud tale occurreret, quod servatur ab universa quacunque se diffundit Ecclesia.* Hic per verba: *ab ipsis Apostolis* intelligit Traditiones Apostolicas; Per ista vero: *Vel plenariis Conciliis* intelligit Ecclesiasticas. Hæ Traditiones Ecclesiasticæ eandem ha-

habent vim, quam Ecclesiæ consuetudines scriptæ; Quemadmodum in Republica civili eadem est vis consuetudinum approbatarum, quæ legum scriptarum. *c Consuetudo dist. 1. & l. diuturna ff. de leg.* Ideo Traditiones Sanctorum tenendæ & observandæ sunt. *Conc. Constant. 4. c. 1. Senonense c. 5.* Nam Traditione & auctoritate regitur Ecclesia *c. Catholica dist. 11.* & *insolentissimæ insaniæ est disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia*, inquit Augustinus *cit. Epist 118.* Quare anathema dicitur violanti Traditiones Ecclesiasticas, *c. Si quis omnem. 1. q. 7.* easque non tenens est hæreticus. *Conc. Trevir. c. 4. Trid. Sess. 4. c. 1.*

Porro penes materiam partitur Traditiones Bellarminus de verbo DEI non scripto. *l. 4. c. 2.* in Traditiones de fide, ut est, quod Sanctissima Mater DEI semper fuerit Virgo, & Traditiones de moribus, v. g. quod certis diebus jejunia & festa sint celebranda. Hæ iterum vel sunt perpetuæ, ut in exemplis positis, & jus constituunt immutabile, vel temporales, ut observatio legalium quarundam cæremonialium quæ servandæ solum erant, usque ad plenam Evangelii promulgationem, ut facilius Ecclesia

ex

ex Judæis & Gentibus coäleſceret, adeoque jus faciebant temporaneum ſervandum ad certum tempus ; Vel ſunt univerſales, ut eſt obſervatio Paſchatis, Pentecoſtes & ſimilium feſtorum, quæ jus conſtituunt toti Eccleſiæ obſervandum, vel particulares, uti erat jejunium Sabbatinum, quod Petrus Eccleſiæ Romanæ tradiderat, & ab ea aliisque quibusdam ſervabatur teſte Auguſtino *Epiſt.* 86. *ad Caſulanum* & hæ jus faciunt ſolum uni vel certis quibusdam Eccleſiis, quibus eæ traditæ ſunt. Demum aliæ ſunt Traditiones neceſſariæ, & traduntur in forma præcepti, atque ut tale obligant, ut eſt celebratio Paſchæ die Dominico poſt decimam quartam Lunam Martii. Aliæ ſunt liberæ, & ad modum conſilii traduntur, ut aſperſio aquæ luſtralis. *Clemens l.* 7. *c.* 29.

Jam vero qui deſiderat auctoritates ſacræ Scripturæ relatas in corpus Juris Canonici ſecundum ordinem librorum ſacræ Scripturæ digeſtas, adeat Concordantias Joannis Nivicellenſis Abbatis, & auctoritates collectas à P. Guenoys Bituricenſi quæ habentur in calce corporis Juris Canonici Pariſiis impreſſi Anno 1618.

CA-

CAPUT XIII.

De Conciliis ac in primis Generalibus.

Quid Concilium. Ejus institutio est Juris divini. Necessitas & causæ Conciliorum. Generalia solus Papa convocat, eisque præest. Qui ad illa vocandi sint. Quis in iis ordo, & quomodo negotia tractanda ac terminanda sint.

1.

SEcundus fons Juris Canonici sunt Concilia à summo Pontifice approbata, ex quorum decretis magna parte Jus illud conflatum est. Nomen Concilii deducit S. Isidorus *l. 7. Etymol. c. 16.* à *Cilio*; *Concilii nomen*, inquit, *tractum ex communi intentione, eo quod in unum dirigant omnes* (nimirum congregati) *mentis obtutum: Cilia enim oculorum sunt, unde & qui sibimet dissentiunt, non agunt Concilium, quia non sentiunt unum. c. Canones dist. 15.*

Quamvis vero Concilium generaliter sumptum, dicatur quivis Conventus multorum hominum, non tantum proborum *Psal. 110. v. 1.* sed etiam impiorum *Psal. 25. v. 4.* Pressius tamen sumit Cice-

Cicero, cum ait, esse Congregationem ad aliquid cum deliberatione agendum deputata. *Orat. pro Roscio*; Eoque in sensu sæpius accipitur non solum in veteri Testamento 1. *Paralip.* 26. *v.* 15. *Esth.* 1. *v.* 13. sed etiam novo. *Luc.* 22. *v.* 66. *Act.* 5. *v.* 21. *& alibi.* Verum nunc usus obtinuit, ut Concilia strictè dicantur: Conventus personarum Ecclesiasticarum maxime Episcoporum à Superiore legitimo indicti & convocati, ut de rebus fidei & Religione deliberent ac decernant; Atque in hoc sensu agitur in præsenti de Conciliis, quæ in Canonibus Apostolorum *can.* 36. & postmodum sæpissimè à Conciliis, & à SS. PP. *Synodi* appellantur. Quod tamen nomen postmodum à plerisque ad cœtus Metropolitanos & Diœcesanos contractum est.

2. Veri similius est institutionem Conciliorum juris esse divini & naturalis. Bellarm. *l.* 1. *de Conc. c.* 3. Primò quia demonstrata est à Christo per hæc verba: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo illic ego in medio illorum sum. Matt.* 18. prout docent Concilia & SS. PP. Concilium Chalcedonense *in Epist. ad Leonem.* Sexta Synodus *Act.* 17. Cælestinus Papa *in Epist. ad Conc. Ephes.* Con-

Concilium Toletanum III. Alexander *Epist. ad Anastasium Alexandrinum* aliiq; quam plurimi. quis neget Apostolos, in quibus Spiritus sancti gratia abundabat, ut inquit Synodus Constantinop. II. *Coll.* 8. nonnisi Spiritus sancti ductu & impulsu primum Concilium convocasse, cum dicant: *Visum est Spiritui sancto & nobis Act.* 15? Si enim inventio solum esset humana convocare Concilia, ut censuit Albertus Pighius *lib. 6. de Cæl. Hierarch. c.* 1. falso tribuissent Apostoli Spiritui sancto id cujus ipse nec auctor esset, nec actor. II. Quamvis ratio naturalis dictet, ut Princeps in rebus dubiis & controversis consulat peritos, non tamen videtur ab humana solum ratione excogitatum esse, ut soli convocentur Episcopi, iique non ut Consiliarii solum, sed ut Judices sententiam ferant. IV. Si ex jure solum humano Concilia instituta essent, quibus Episcopi tanquam Judices interessent, mutatio sæpius circa ea contigisset; Jam vero ubique omnium gentium consensu Sacerdotes, qui divinis præerant, judicandi de rebus maximis auctoritatem habebant. Sic in lege Mosaica constitutum erat Concilium 70 virorum, quod ab Hebræis *Sanhedrim*, à Græ-

à Græcis συνέδριον dictum est, in quo Summo Pontifice præsidente graviores causæ decidebantur, *Deut. c. 21. v. 5 & c. 17. v. 8. & Sigonius l. 6. de Rep. Hebr.* Apud Romanos Augures *Religionibus Deorum & Summæ Reip. à majoribus præfectos* fuisse testatur Cicero pro domo sua. Apud Gallos Druides de omnibus ferè controversiis publicis privatisque constituebant. *Cæsar l. 6. belli Gallici.* Idem faciebant Sacerdotes apud Ægyptios *Strabo l. 17. de Meroitarum moribus l. 14. ver* 14. Persas *Euseb. in Chronico* Athenienses *Josep. l. 14. antiq. c. 10.* aliosque *Regal. Sacerd. l. 2. §. 1.* Convincit ergo omnium fere gentium consensus auctoritatem Sacerdotum in judicando, non esse juris solum humani, sed naturalis, & in Ecclesia etiam divini.

3. Quamvis vero Summus Pontifex Judex sit omnium controversiarum, eique tanquam Christi Vicario omnes fideles obtemperare teneantur, hic tamen non debet in Controversiis fidei decidendis temerè quicquam agere, suoque soli judicio fidere, sed multorum in rebus sacris peritorum sententiam exquirere, eaque media assumere ad investigandam veritatem, quæ humana in-

induſtria in rebus arduis adhibere ſolet; Hoc recta docet ratio, ut in re dubia magnique momenti aliorum petantur Conſilia, idque in Eccleſia omnium ſæculorum praxis obtinuit; *Illa fuit antiqua Apoſtolicæ Sedis proviſio*, inquit Cœleſtinus III. *ut hujusmodi cauſarum recognitiones duobus quam uni, tribus quam duobus libentius delegaret, cum ſicut Canones atteſtantur integrum ſit judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur. c. 21. de offic. & pot. Jud. del.* Hinc cum in Eccleſia oporteat eſſe & ſcandala & hæreſes. *Matt.* 18. 1. *ad Cor.* 1. eæque diverſis temporibus ſæpiſſimè exortæ fuerint, neceſſe quoque fuit frequenter Concilia convocare S. *Aug. l. 4. contra duas Epiſt. Pelag c.* 11. *& l.* 1. *de Bapt. contra Donat. c.* 18. *S. Cyprianus l.* 1. *Epiſt. 2. ad Steph.* Eſt ergo medium ordinarium, quo Pontifex utitur in rebus arduis circa fidem & mores, convocare Concilium ejusque ſententiam audire. Non tamen tenetur ſemper illius judicio ſtare, ſed ſi ipſe cum Concilio Cardinalium, quod Judicium eſt Sedis Apoſtolicæ, & tribunal Eccleſiæ diſſentiat à ſententia Concilii, poterit res controverſas determinare. *S. Th. 2. 2. q. 1. a.* 10. *Card. Alexander c. Ana-*

Anastasius, atque tunc sententia Papæ & Cardinalium præferenda est definitioni Concilii generalis, quia est Judicium Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Catholicæ, quæ in fide & moribus errare non potest. *c. Hæc est fides 24. q. 1. c. à recta & c. quoties c. 21. 24. q. 1. c. omnes dist. 22.* Non ergo necessaria sunt Concilia absolutè, ut putavit Vigorius apud Boyvin. *p. 4. Theol. disp. 3. de Conc. q. 2.* cum à Pontificibus Romanis hæreses damnari possint, & sæpius damnatæ sint, sed solum secundum quid tanquam media valde utilia ad extirpandas hæreses & Schismata tollenda.

4. Causæ ob quas Concilia celebrari solent sunt variæ. Prima est nova Hæresis non antea ab Ecclesia judicata; Ob hanc congregata sunt septem prima Concilia generalia. Nam in Nicæna I. damnatus est Arius negans Filii consubstantialitatem cum Patre. In Constantin. I. Macedonius, adversus quem confirmata est Spiritus sancti divinitas. In Ephesino Nestorius duas asserens in Christo personas, contra quem asserta una Christi persona & duæ naturæ. In Chalcedonensi profligati sunt Dioscorus & Eutyches, qui unam tantum in Christo naturam admittebant. In Constantin.

tin. II. Originis errores damnati sunt. In Constantin III. Monothelitarum hæresis rejecta est, dum una tantum in Christo voluntas agnoscitur. In Nicæno, II. Iconoclastæ profligati sunt.

Secunda causa celebrandi Concilii est, ut schisma inter Romanos Pontifices exortum supprimatur; Sic factum tempore Cornelii Symachi, Innocentii II. Alexandri III; Et in Concilio Constantiensi, cum tres essent, qui se Pontifices appellarent.

Tertia ut Turcis aliisque Ecclesiæ hostibus communi subsidio resistatur; Ob eam causam coëgit Concilium Urbanus II. Calixtus II. Eugenius III.

Quarta suspicio hæresis vel infidelitatis, aut Tyrannis incorrigibilis in Romano Pontifice. Ob hanc congregatum fuit Sinuessanum in causa Marcellini; Romanum in causa Damasi, Sixti III. Leonis III. Quorum tamen nullum dixit sententiam damnationis in Papam.

Quinta Reformatio abusuum, & extripatio vitiorum, quæ in Ecclesiam irrepunt. Pro quibus tollendis Concilia hucusque omnia etiam particularia celebrata sunt.

Sexta

Sexta causa excogitari posset, si Cardinales aut nollent, aut non possent eligere Pontificem per morbos, mortem, aliumvè casum inevitabilem impediti, utique ad Generale Concilium spectaret determinare de electione Pontificis. *Coriolanus in præl. 1. summæ Concil.*

5. Porro Concilia alia sunt Generalia, græcè Oecumenica, alia particularia. Oecumenica dicuntur, quod ea constituant convocati ex toto mundo, nam οἰκουμένη idem est, quod terra habitabilis deductum à nomine οἶκος & verbo μένειν, quasi domus permanens, ut est mundus universus. Generalia, quæ S. Aug. *l. 2. de Bapt. c. 3. plenaria* vocat universalem repræsentant Ecclesiam, & ut legitima sint has requirunt conditiones:

Prima ut Summi Pontificis mandato vel approbatione congregentur *Pelagius II. Epist. 8. Alexander III. Const. Quoniam 9. Innocentius III. Constit Vineam* prout in primis quatuor Conciliis, quæ S. Gregorius eadem veneratione, qua Evangelia prosequebatur. *c. Sicut dist. 15.* observatum fuisse ostendit Bellarminus *de Conc. l. 1. c. 13.* ideoque si sine S. Pontificis auctoritate Concilia convocentur invalide celebran-

tur *c.* 1. 2. 3. *&* 5. *Dist.* 17. & non Concilia, sed Conventicula erunt & Conciliabula *cit. c.* 5. *dist.* 17. imo Synagogæ Satanæ. S. Thom. 2. 2. *q.* 1. *a.* 10. & quod in iis actum fuerit irritum erit & vacuum. *cit. c.* 5.

Non ergo Imperatorum est convocare Concilia, ut contendunt Novatores hujus temporis ad elevandam Pontificum & Conciliorum, in quibus illi condemnati sunt, auctoritatem. Fuerunt quidem ex Imperatoribus nonnulli, qui pro Religione sua, cum Ecclesiam ab hæreticis infestari cernerent, vel sponte Concilia à Romanis Pontificibus petierunt, vel postulante aut annuente Pontifice ea cogenda curarunt, seseque Conciliorum Protectores exhibuerunt, prout pluribus exponetur infra. *c.* 15. §. 7. sed auctoritate propria non convocarunt.

Secunda Conditio est, ut Pontifex Concilio præsit perse vel per Legatos suos. *c.* 2. *&* 6. *dist.* 17. Caput enim quale est Pontifex ut dicetur *c.* 15. §. 3. præsidere debet corpori, idque semper in legitimis Conciliis Oecumenicis observatum fuit, ut infra ex descriptione singulorum Conciliorum patebit.

Neque dicas Imperatores in sexta & octava Synodo præsedisse, in Sexta nam-

que

que sic habetur: *Præsidente piissimo Imperatore*; Atque etiam hi vel eorum Legati digniorem sæpe locum, nimirum in medio occupabant, ut patet ex iisdem Synodis, & historia Concilii Chalcedonensis apud Nicephorum *l.* 15. *c.* 4. Nam quod interdum Imperatores aliivè sæculares digniorem in Conciliis locum occuparint, id non jure sed potentiâ factum. Neque id omnes fecerunt, Constantinus Imperator humiliorem sibi locum in Nicæno I. delegit. *Euseb. l.* 3. *de vita Const.* aliique hoc pientissimi Imperatoris exemplum imitati sunt. *c. Nos ad fidem. c. satis dist.* 96. Ideo inter cæteros Martianus Imperator *in Act.* 6. *Conc. Chalced. Nos* inquit, *ad fidem roborandam sive exercendam, non ad potentiam aliquam ostendendam sive exercendam exemplo Religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse volumus: ut veritate inventa, non ultro multitudo pravis doctrinis attracta discordet: Vel ne ulterius pravis persuasionibus à recta separentur fide.* Quare licet interfuerint sæpe Imperatores Conciliis ad majorem eorum celebritatem, & ut tumultus in tanta Congregatorum fre-

quentia averterentur, eamque ob causam nonnunquam præsedisse dicti sint, nunquam tamen in iis Judicum partes sustinuerunt, ut constat ex cit. Synodo sexta, In qua Constantinus Pogonatus suffragium suum non dedit, & ultimo loco Actis subscripsit; Sed de his pluribus infra erit agendi locus.

Tertia Conditio est, ut evocatio eorum qui jus habent sit generalis, quantum moraliter fieri poterit, nec ullus eorum à Concilio excludatur, cum id Concilium repræsentet totam Ecclesiam. *Conc. Const. Sess.* 5. idque approbatum à Martino V. Et *quod omnes tangit ab omnibus approbandum est. Reg. Jur. in* 6. Non tamen necesse est, ut convocatio ad singulorum perveniat aures, sufficit enim ut ex intentione vocantis per se ad omnes referatur. Neque oportebit omnes in particulari vocari, sed satis erit Patriarchas, Primates & Archi-Episcopos invitare cum illorum Suffraganeis & Prælatis subditis, ut vel omnes veniant; vel nomine omnium illos mittant, qui sufficere illis videbuntur. *Turrec. l. 8. c.* 14. *Suaz. disp.* 9. *de Conc. sect.* 1. Vocandi ergo sunt ad Concilia generalia, excepto Summo Pontifice, qui vocari nequit, omnes qui Jus habent, *Leo I, Const. omnem.* 2. *Hormis-*

das

das Epist. 5. ad Anast. Imp. Gregorius VII. lib. 2. post Epist. 55. Atque in primis Episcopi, idque ex jure proprio. *Bellarm. l. 1. de Conc. cap. 5.* quia hi sunt Pastores Ecclesiæ ex officio *ad Ephes. 4.* quam tanquam Primates regere debent *Act. 20.* cum in ea propriè habeant jurisdictionem. *Sexta Syn. act. 11. & sept. Syn. c. 19.* Ita ut nullus eorum positivè excludi possit nisi excommunicatus.

Deinde vocari debent Cardinales non tantum ex privilegio & consuetudine, sed etiam ut propabilius putat Suaz. *l. c. n. 17.* ex jure ordinario, quia actus jurisdictionis, qui ad externum regimen Ecclesiæ ordinantur, & intrinsecè non pendent à consecratione Episcopali communicari possunt quibusvis personis Ecclesiasticis capacibus, ideoque Cardinales etiam non Episcopi suffragium habent in Conciliis decisivum ante ipsos Episcopos, quia ex usu & privilegio Pontificum illis præferuntur in iis, quæ non dependent à Charactere Episcopali, habentque in suis Titulis Jurisdictionem Episcopalem *c. His quæ de Major. & Obed. Turreen. l. 8. c. 14.*

6. Præterea ex usu & privilegio, non ex jure communi vocantur Generales Ordinum Regularium, & Abbates con-

secrati habentes jurisdictionem. Episcopi annulares, seu Titulares vocari possunt & habere suffragia, sed non est necesse, quia actu carent jurisdictione Episcopali, sicque habere usum testatur Suaz. *l. c. n.* 18. adeoque perversè Marcus Antonius de Dominis Apostata *lib. 2 de Repub. c.* 7. Episcopos illos Titulares, quos per ludibrium vocat Nullatenses, habere jus suffragii, si vocentur, in Conciliis generalibus negat.

Nullus vero Laicus, etiamsi Rex sit vel Imperator vocandus est ad Concilium tanquam Judex, & ut suffragium ferat decisivum, quemadmodum constat ex omnibus Conciliis à tempore Apostolorum, quando *Act.* 15. Apostoli ipsi cum Presbyteris conveniunt & definiunt, reliqua multitudo audit & obedit, usque ad Tridentinum observatum esse. Octava Synodus *Can.* 17. execratur dicentes invalidas esse Synodos, quibus non interfit Princeps. Idem constat ex Clemente I. *Epist.* 5. & habetur *c. Relatum dist.* 37. Nicolao I. *Epist. ad Michaël Imp.* Gelasio *Epist. ad Athanas. Augustum.* Ideoque Basilius Imp. negat *in Octava Synodi act.* 10. & ad se & ad ullum Laicum pertinere negotia Ecclesiastica tractare. *Evag. lib. c.* 4. Laici ergo interesse solum possunt, & non-

nonnunquam interfuerunt Conciliis, ut Defensores, Testes, Consiliarii, Suggestores vel Executores. Nec potest illis ex probabiliore sententia Pontifex concedere, ut suffragium in illis decisivum ferant, hic enim actus est jurisdictionis Ecclesiasticæ, cujus jure ordinario Laici sunt incapaces. *Jacobatius lib. 2. c. 2.*

Admittutur etiam nonnulli Theologi doctrina prudentiaque conspicui, non Ecclesiastici tantum, sed nonnunquam etiam Laici, qui ut Consiliarii in rebus solum discutiendis adjuvent. Præterea Notarii, Cursores, aliique qui Patribus Congregatis in necessariis famulentur. Accedere quoque ad Concilium possunt, quotquot se læsos existimant. *c. 4. dist. 18.* & hi, si beneficiati sint, possunt percipere fructus beneficiorum exceptis distributionibus quotidianis, non secus, ac si præsentes essent. *Conc. Constant. Sess. 10.*

7. Episcopi ad Concilium generale vocati tenentur omnes ire ad locum, in quo indictum est. *Conc. Laodic. Can. 4.* aut si qui infirmi sint, vel impediti, alios pro se mittere sub pœna excommunicationis, & suspensionis à Missa per sex menses. *Conc. Carth. 1. c. 10. Affric. c. 42. Aurelian. V. c. 28. & c. 10. dist. 18.* Si qui vero

10

ro emanserint, non ideo desinit esse Concilium generale; Nam ut tale sit, non est necesse, ut omnes Ecclesiæ universalis Episcopi, imo nec major eorum pars reipsa congregetur, alias pauca, vel etiam nullum ex hactenus congregatis dicendum esset generale, nec ipsum primum Constantin. quod fuit secundum Generale, & unum eorum, quæ quatuor Evangeliis comparantur. *c. 1. & 2. dist. 15.* Cum in eo convenerint solum 150 Episcopi ex 500 & pluribus, quos tunc in Ecclesia fuisse testantur historiæ. Neque Concilium Chalcedonense, quod ultimum est ex quatuor primis, cum ad illud ex toto Occidente soli Pontificis Legati accesserint. *Leo Papa Epist. 42. & 50.* Et ratio est, quia ut generale sit Concilium, non tam re, quam repræsentatione & auctoritate continere debet universalem Ecclesiam, hanc autem continebit, si duo habuerit: Primò præsentem Papam, vel in se, vel in Legatis suis, sine quo Concilium est acephalum; Secundò eam multitudinem Episcoporum, quæ vel omnes comprehendat, vel certè repræsentet vicemque absentium subeat; Sic enim obtinet usus in omnibus Congregationibus, ut quando omnia membra convenire non possunt,

possunt, alia aliis suas vices tribuant & absentiam suppleant, idque secundum rectam rationem, & naturalem rerum humanarum conditionem; Vel enim absentes nec possunt, licet vellent, ipsi venire, nec alios suo loco mittere, vel utrumque ob malitiam nolunt; Si primum tenentur cedere suo juri, ac consentire ut præsentes eorum vices suppleant, atque ita eos velle præsumendum est; Si secundum privandi sunt jure suffragii, iique qui convenerunt, declarare possunt se vices omnium subire *Suaz. de Conc. disp.* 11. *sect.* 2. *n.* 7. Jam vero qui impediunt proficiscentes ad Concilium vel damnum illis inferunt excommunicandi sunt. *c.* 7. *dist.* 18. *Conc. Sabin. c.* 2. Demum Concilium convocandum est in civitate ampla, salubris aëris, & facilis accessus, ubi ædificia sint accommodata. *Conc. Later. V. Sess.* 11. *Const.* 3.

8. Priusquam inchoëtur Concilium vacare debent Patres conscripti per triduum jejunio, orationibus & eleemosynis plus solito *Conc. Raven. III. post Clem. V. c.* 26. & fit diei publicatio, quo Concilium inchoandum erit. Die condicto conveniunt Patres hora constituta in loco destinato, atque ibidem quisque ornatur à famulis propriæ dignitatis insigni-

ſignibus, quæ ſunt: Mitræ, pluvialia, Caſulæ, dalmaticæ. Inde pro ſui gradus & conſecrationis ordine bini & bini in diſtinatam Baſilicam ſilentio cruce præcedente procedunt. Præeunt Regularium Ordines, ſuccedunt Canonici ac reliqui Eccleſiaſtici, poſt illos Epiſcopi, ac demum Legati, & ſi qui adſunt Regum Oratores. Chorum ingreſſi flexis genibus orant, tum ad opem S. Spiritus implorandam ab omnibus alta voce decantatur Hymnus (quod in Concilio Tridentino factum eſt in loco, ubi ſacris veſtibus amicti ſunt, priusquam ad locum Concilii accederent. *Pallav. in hiſt. Conc. l. 5. c. 17. n. 8.*) aliæque preces ex rituum libello recitantur; Quibus perſolutis Miſſam ex præparatis ſedibus & ſubſelliis reverenter audiunt, & Concioni, quæ ab aliquo inſigni oratore de ſuggeſtu habetur, interſunt, qua finita plebs è templo emittitur ejusque fores obſerantur.

His peractis præſidet, ut dictum ſupra, univerſo Concilio Summus Pontifex, quia Paſtor eſt univerſalis Eccleſiæ. *Jo. 21. v. 18.* pet ſe vel per unum aut plures Legatos. *c. 2. diſt. 17.* Quod enim quisper alium facit, per ſe ipſum cenſetur facere. *Reg. Jur. 72. in 6.* Et licet Legatus

gatus solum sit Diaconus vel Clericus præcedit tamen omnes Congregatos. *Eug. IV. Const.* 15. *Non mediocri* §. 13. Cæteri Patres secundum ordinationis suæ tempus prærogativam sibi in consessu vendicant *c. ult. dist.* 17. non secundum præeminentiam Ecclesiarum quibus præsunt. *S. Cong. Conc. in c.* 2. *Sess.* 14. *de reform.* ideoque qui prius dignitatem receperunt præferendi sunt aliis. *Glos. ibid. V. Episcopus.* Hinc est quod Pius Papa IV. in Concilio Tridentino edixerit Anno 1562. de Primatibus, ut promiscuè inter Metropolitanos juxta Consecrationum suarum tempora sederent. In media Concilii corona secundum antiquam consuetudinem collocatur super pulvinari Evangeliorum Codex, & nonnunquam, ut factum est in Synodo Chalcedonensi, Nicæna 2. & ultima Constantinopolitana, sacra Sanctorum Lipsana.

9. Postquam consedere Patres, legitur ante omnia Diploma seu literæ Pontificiæ, quibus Concilium indicitur. *Nic.* 1. *Epist.* 9. Deinde eliguntur Officiales Concilii, inter quos præcipui sunt Consultores, qui Legatis Præsidibus in rebus agendis, proponendis, vel dirigendis assistunt; Notarii, qui, quæ dicuntur, proponuntur, postulantur & constituuntur

untur in scripturam redigunt; Promotores, qui culpas & transgressiones Decretorum observant & postulant emendari; Scrutatores, qui singulorum suffragia excipiunt, in scripta referunt, & ad mensam Consultorum deferunt numeranda; Custos Concilii, quod munus alicui Principum Synodo adstantium, si adsint, vel alteri Illustri personæ committitur; Judex qui lites dirimat eorum, qui Concilio intersunt.

His aliisque Officialibus electis promulgantur leges in Concilio servandæ; Tum admittuntur Oratores Principum lectis eorum literis commonitoriis. Priusquam vero res in Concilio definienda proponatur, instituuntur selectorum Doctorum Congregationes, in quibus seorsim à Cœtu Concilii accuratè discutiuntur per rationes & suffragia non decisiva, sed consultiva quæstiones in Concilio postmodum dijudicandæ ac definiendæ. Quo facto Patres in Concilio priusquam sententiam definitivam de rebus à minoribus Doctoribus expensis ferant, rationes quæ ex utraque parte occurrunt sedulo expendunt, ac tum collectis votis, quod major vel sanior pars decernit numeratis suffragiis per capita,

non

non per nationes concluſum habetur. *Conc. Lateran. III. c. 16. Tolet. VIII. c. 11.*

Olim Procuratores quoque Epiſcoporum abſentium votum ferebant deciſivum, non ſecus ac Epiſcopi à quibus mittebantur, & quorum vices gerebant, ut patet ex Actis Synodi Nicænæ, I. & II. Conſtantinopolitanarum, Epheſinæ & Chalcedonenſis, Romanæ I. Agathenſis, Aurelianenſium II. III. IV. & V. Cabilonenſis, Affricanarum quarundam, Eliberitanæ, Ilerdenſis, Valentinæ, Egarenſis, & quarundam Toletanarum. Aliqua tamen differentia inveniebatur in Eccleſia Græca & Latina quo ad ordinem Seſſionis, ſuffragii & ſubſcriptionis. In Synodis Orientalibus admittebantur ad eundem ordinem in omnibus, qui Epiſcopis eos delegantibus, ſi præſentes fuiſſent, debebatur. At in Conciliis Occidentalibus votum quidem ferebant deciſivum, non tamen inter Epiſcopos conſidebant, & ſeorſim ab ipſis Acta Concilii ſubſcribebant. Noviſſimè verò in Concilio Tridentino nemo ad ſuffragium deciſivum admiſſus eſt, qui ab alio ſubrogatus fuiſſet, ſive is Procurator eſſet cujusdam Antiſtitis, ſive generalis alicujus Præſidis Ordinis Religioſi. *Pallav. in hiſt. Conc. l. 6. c. 2.* Reliqui Presbyteri

Presbyteri qui interſunt ſapientia & eruditione præcellentes ad ſuffragia ſolum conſultiva admittuntur.

10. Legati Apoſtolici qui præſident, poſſunt durante Concilio literas privatas ad ſe ſcriptas etiam nomine Regum & Rerumpublicarum recipere, privatim reſerare & legere; Si quid in iis contineatur, de quo monendum ſit Concilium re cum Collegis & Conſultoribus collata proponendum illi erit. Litteræ vero ad univerſum Concilium directæ non niſi auditis Patribus reſerandæ ſunt & legendæ, niſi per adjunctas literas ab auctore earum Legati arbitrio & prudentiæ permittatur, eas quæ ad univerſum Concilium ſcriptæ ſunt, vel proferre vel ſupprimere. Porro ad officium Legatorum atque etiam Conſultorum, re tamen cum Legatis prius collatâ, ſpectat decernere ea quæ Concilio ſunt proponenda. Cæteris Patribus conſcriptis liberum eſt ea, quæ ſibi proponenda occurrunt ſcripto Legatis aut Conſultoribus exhibere, & ut ita fiat expedit ad vitandam confuſionem, ſuperfluitatem & altercationes, quæ oriri poſſent, ſi quisque quæ ſibi occurrunt, per ſe viva voce Concilio ad deliberandum proponere vellet.

Si

Si contingat Papam è vivis excedere, dum generale Concilium celebratur electio Succeſſoris non ad Concilium, ſed ad Collegium Cardinalium, ut vitetur Schiſmatis periculum, ſpectat, ideoque Cardinales, qui Concilio interſunt, Romam ſe conferre debent, ut Eccleſiæ cum cæteris de communi capite provideant. *Pauli III. Conſtit. Pallav. hiſt. Conc. l. 3. c. 19. n. 10.* Et quamvis Pontifex alibi quam Romæ moreretur, electio tamen Romæ, utpote in urbe ab exterorum violentia ſupra cæteras ſecura, habenda erit. *Pallav. l. c. l. 5. c. 1. n. 8.*

11. Porro quæ definita ſunt à Patribus in ſcripta rediguntur, & in fine Concilii relecta ab iisdem ſubſcribuntur eo ordine quo conſident *c. ult. diſt.* 18. eorumque confitmatio à S. Pontifice rogatur. Acta enim Concilii confirmari debent à Pontifice, ut robur obtineant. *Nicæn. I. in Epiſt. ad Sylv. c. 2. diſt.* 17. *Nec ullum ratum eſt, aut erit unquam Concilium, quod non fultum fuerit ejus auctoritate. Jul. Papa in c. Regula diſt.* 17. Quamvis in Concilio præſederint Legati Pontificis. *Damas. Ep.* 4. *Conc. Chalced.* Ideoque Romam ut ſemper factum eſt ab eo confirmanda mittuntur. *cit. Nicænum I. Ep. ad Sylv. Chalced. Epiſt. ad Leon. Papam.*

Nam

Nam Pontifex est supra Concilia, non vero Concilia supra Pontificem, ut infra pluribus probabitur. Decreta vero Concilii generalis, cui Pontifex non per se, sed per Legatos præsidet, eduntur nomine Concilii, ut patet ex octo Conciliis generalibus, atque etiam Tridentino, in quibus sæpius legitur : *Synodus definit, mandat, prohibet.* Demum tenentur Episcopi decreta secum conferre, & intra sex menses in Ecclesia sua publicare. *Conc. Tolet. XVI. c. 8. can. ult. dist. 18.*

Dubitandum vero non est Decreta Conciliorum universalium jus constituere generale & commune, quod omnes obliget, cum confirmata sint à supremo Principe, Christi in terris Vicario. Si quæ verò, quæ fidem non concernunt, alicubi non recipiantur, id quidem *de facto* fit, an etiam *de Jure* examinatur in Titulis de Constit. & Consuetudine.

CAPUT XIV.

Series Conciliorum Generalium Legitimorum.

Compendiosa descriptio Conciliorum gener. eorumque Canonum Nicæni I. Sardicen-

dicensis, *Constantinopolitani* I. *Ephesini* I. *Chalcedonensis*. *Constan.* II. *Constant.* III. *Nicæni* II. *Constant.* IV. *Lateranensis*. I. II. III. & IV. *Lugdunensis* I. & II. *Viennensis*, *Florentini* *Lateran. V. Tridentini.*

1.

PRæmissis iis quæ spectant ad Convocationem & celebrationem Conciliorum Generalium modumque in iis procedendi, subiiciemus nunc brevem eorundem, quæ hactenus in Ecclesia celebrata sunt, descriptionem, & qui Canones ex iis tanquam ex fontibus in Jus Canonicum deducti sint. Concilia generalia quæ legitima sunt, numerantur octodecim. Primum est

NICÆNUM.

Convocatum illud fuit Nicææ, quæ Metropolis est Bithyniæ in Asia à Sylvestro Papa & Constantino Imperatore. Inchoatum est in aula Palatii Constantini *Euseb. l. 3. vitæ Constan. c.* 12. anno Christi 325. 13. Kal. Julii. Paulino & Juliano Coss. ut tradit Concilium Chalcedonense *Act.* 2. tenuitque usque in diem octavam Kalend. Sept. ejusdem anni, ut habet eadem Synodus Chalced. & vetustissima Cresconiana collectio.

Interfuerunt huic Concilio Patres supra trecentos octodecim; quos inter multi sanctitate conspicui, & in sanctorum Catalogum ab Ecclesia relati, ut Nicolaus Myræ in Lycia, Paphnutius Thebarum Ægypti, Potamon Heraclææ Ægypti, Spiridion Threniuntis Cypri, Paulus Neo-Cæsarææ, Jacobus Nisibis in Mesopotamia, Alexander Constantinopolis, Arostanes in Armenia superiori Episcopi & magnus Athanasius tunc Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus. Præsiderunt Summi Pontificis Legati Osius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius Romanæ Ecclesiæ Presbyteri, qui etiam ante omnes Ecclesiarum Antistites & Patriarchas consederunt, suaque nomina Actis subscripserunt, ut testis est Dalmatius seu Gelasius Cyzicenus Episcopus in historia hujus Concilii. Hos sequebantur Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ Patriarchæ, Macarius Hierosolymorum Episcopus. Constantinus Imp. Concilium ingressus non nisi annuentibus Episcopis sedere voluit, dein habita Oratione latina contestatus est non esse deinceps suum sed Episcoporum judicare, proindeque post omnes Episcopos subscripsit.

Co-

Coactum fuit hoc Concilium præcipuè contra Arium Presbyterum Alexandrinum sacrarum literarum interpretationi Præpositum, qui asserebat DEI filium esse diversæ à Patre inferiorisque naturæ, atque à Patre in tempore ex nihilo creatum; Quæ hæresis in hoc Concilio damnata est. Deinde contra Quarta decimanorum Sectam jam ante sæpius oppressam, nunc iterum reviviscentem, quæ Judaico ritu non die Dominico Pascha, sed Luna decimaquarta in quamcunque diem incidisset agitabat. Constitutum ergo est, ut post decimam quartam Lunam primi mensis in ipsum æquinoctium vernum incidentem, vel ipsum proximè sequentem prima Dominica Pascha celebretur. Decreta hujus Concilii Romam perlata à Sylvestro Papa approbata fuere.

2. De numero Sessionum & Canonum hujus Concilii valde controvertitur. Alii namque contendunt viginti solum formatos esse Canones, qui hodiedum exstant, alii vero plures fuisse affirmant. Isti pro se allegant I. quod Acticus Episcopus Constantinopolitanus, & Cyrillus Alexandrinus Antistes miserint solum vulgatos viginti Canones ad Conc. Carthaginense VI, cum id omnes

sibi transmitti petiisset. II. Rufinum viginti duos exhibere in historia sua, sed duos nihil addendo partiri, adeoque reipsa viginti esse. III. Theodoretum *l. 1. Hist. Eccl. c. 8.* viginti solum fuisse attestari. IV. Cæcilianum Episcopum Cathaginensem, qui ipse Concilio Nicæno interfuerat, non plures quam viginti Canones Nicæa Carthaginem retulisse, ut refert Concilium Carthaginense VI.

Qui vero plures fuisse esserunt producunt: *primò* Epistolas sub nomine Athanasii & Marci Pontificis Romani latine scriptas, in quibus Athanasius rogat Marcum, ut ad se transmittat octuaginta Nicænos canones, quos Alexandrinum ex Synodo transportarat; Cui respondet Marcus se canones illos octuoginta primum, sed à Nicæna Synodo in septuaginta redactos ad ipsum transmittere. Sed hæ Epistolæ ab eruditis profictitiis, & nullius auctoritatis habentur. *Secundo* Julius Pontifex Romanus meminit in Epistola scripta ad Orientales, quam refert Athanasius Apologia 2. cujusdam Decreti Nicænæ de prioris Synodi Actis in posteriore Synodo examinandis. Deinde recenset hoc Decretum Nicænum: *Non debere præter sententiam Romani*

Pon-

Pontificiis Concilia celebrari. Et aliud: *Ne Conprovinciales quicquam ſtatuant adverſus ullum Provinciæ Epiſcopum inconſulto Romano Pontifice. Tertio* Leo Papa *Epiſt.* 24. ad Theodoſium juniorem Aug. poſtulat ab eo retractatorium concilium in cauſis Flaviani ab Epheſino latrocinio appellantis, & ſubjungit: *Quam autem poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario expoſtuletur Canonum Nicææ habitorum decreta teſtentur, qua à totius mundi ſunt Sacerdotibus conſtituta.* Item Zoſimus, Innocentius, & Cœleſtinus Summi Pontifices petunt à Concilo Carthaginenſi VI. ut obſervetur ab eisdem Canon Nicænus circa appellationes ad Romanam ſedem à judiciis Epiſcoporum; Nihil horum vero in vulgatis XX. Canonibus reperitur. *Quarto*, Gelaſius Cyzicenus *l.* 2. *c.* 30. præmittit vulgaribus XX. Canonibus ſtatutum Nicææ Synodi novem continens capita. S. Ambroſius in Epiſtola ad Vercellenſem Eccleſiam inquit: *Patres in Concilio Nicæno tractatus addiderunt, neque Clericum quenquam eſſe debere, qui ſecunda conjugia ſortitus eſt.* Innocentius I. *Epiſt.* 23.

ad Synodum Toloſanam refert ex regulis Nicænis de ordinationibus: *Ne quispiam, qui poſt Baptiſmum militaverit ad Ordinem debeat Clericatus admitti: neque qui cauſas poſt Baptismum acceptum egerint* &c. S. Hieronymus *Præf. in lib. Judith* refert hunc librum à Nycæna Synodo fuiſſe inter canonicas ſcripturas connumeratum. S. Auguſtinus *Epiſt.* 110. agnovit decretum Nicænum, ne quis ſuccedat Epiſcopo viventi: *Adhuc*, inquit, *in corpore poſito... Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat, quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo.* Quinto Concilium Antiochenum *Can.* 1. & Conſtantius Auguſtus, qui Nicæno interfuit in Epiſtola ſua quam refert Euſebius Cæſarienſis. *l.* 3. *vitæ illius* & S. Athanaſius, qui pariter in Concilio præſens fuit *lib. de Conciliis Arim in. & Seleuc.* Et Epiphanius *hæres.* 96. tradunt Nicæni Concilii decretum de non celebrando Paſchali feſto, niſi in Dominica occurrente primum poſt decimam quartam menſis Martii lunam; At nihil prædictorum reperitur

peritur sive in Canonibus, sive in actis Synodi Nicænæ. Præterea in Epistola Episcoporum Ægypti ad Felicem Papam II. leguntur sequentia. *Sciamus in magna Nicæna Synodo trecentorum decem & octo Episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum: Non debere absque Romani Episcopi sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari; Licet hæc & complura alia necessaria Synodi Capitula fuerint ab hæreticis qnotidie nos infestantibus exusta nobisque prærepta.* Sed hanc Epistolam Baronius aliique eruditi suppositiam dicunt. Porro Canones Arabicos falso adscribi à quibusdam Nicænæ Synodo ostendit Cabassutius in Notitia Ecclesiastica de numero Canonum Nicænorum. Verum ni dicere velimus errasse supra citatos Patres & Concilia, fatendum erit præter Canones viginti decreta esse à Concilio illo Nicæno alia non pauca, seu Canones illa appelles, seu alterius nominis statuta.

3. In viginti vero Canonibus hujus Concilii, qui exstant, hæc statuuntnr. Can. I. Irregulares esse, qui se ipsos, non vero quos Medici morbi causa, vel alii per-

per vim mutilant vel mutilare permittunt. Refertur *c. Si quis à Medici dist. 55.*

Can. 2. Ne Neophyti ordinentur Episcopi aut Presbyteri. Item qualiter clerici ordinari & promoveri de ordine inferiori ad superiorem debeant servatis interstitiis. Et de his qui rei convicti essent ψυχικῦ ἁμαρτήματος, *peccati animalis*, hoc est qui post Baptismum grave aliquod crimen præsertim luxuriæ admiserint arcendis à Clericatu.

Can. 3. Ut nulli Clericorum liceat subintroducere mulierem, exceptis Matre, Sorore vel aliis non suspectis. *citatur c. interdicit 1. dist. 32.*

Can. 4. Statuitur qualiter Episcopi ordinari seu consecrari debeant. Refertur. *c. Episcopi ab omnibus dist. 64.*

Can. 5. Præcipitur ne excommunicati Clerici vel Laici à clero repulsi ab aliis admittantur. Citatur *c. Servetur ista sententia 11. q. 2.* Et ut Synodus Episcopalis bis in anno nimirum ante quadragesimam, & in Autumno convocetur. Habetur *dist. 18.*

Can. 6. Statuitur potestas Episcopi Alexandrini, & specialiter Ecclesiæ Romanæ. Deinde quod definitur à majore parte collegii Ecclesiastici, id ratum esse debere.

can.

Can. 7. Approbatur honor Episcopo Hierosolymitano ex consuetudine delatus, Metropoli propria dignitate servata.

Can. 8. Permittuntur Novatiani, qui Cathari dicuntur, ad Ecclesiæ unitatem revertentes pristinæ Sedi vel Ordini seu gradui restitui.

Can. 9. Examen Ordinandorum instituendum esse.

Can. 10. Clericos lapsos ordinatos deponendos esse.

Can. 11. Præscribitur quomodo sponte lapsi pœnitere debeant.

Can. 12. Contra eos, qui ut se inchoatæ pœnitentiæ molestiis eriperent, militias affectabant, vel redimebant.

Can. 13. Nemini pœnitenti in extremis vitæ communionem sacri viatici denegandam.

Can. 14. Catechumenos lapsos pœnitentiæ triennali subijciendos.

Can. 15. Episcopos, Presbyteros & Diaconos proprias, quibus adscripti sunt, Ecclesias deserentes ad eas revocandos esse. Citatur *in c.* Non oportet Episcopum *7. q. 1.*

Can. 16. Clericos non debere deserere Ecclesias suas, & ab alio Antistite non esse ordinandos sine consensu proprii Episcopi.

Can: 17. Clericos usurarios de-ponendos esse.

Can. 18. Ne Diaconi Eucharistiam præbeant vel attingant nisi eis præbente Episcopo vel Presbytero, nec in medio Presbyterorum sedeant.

Can. 19. Paulianistas seu Photinianos denuo rebaptizandos esse, quia ut ait Innocentius I. *Epist.* 12. *c.* 5. *In Nomine Patris & Filii & Spiritus sancti minime baptizabant.*

Can. 20. Ut fideles Paschali tempore stantes orent. Citatur *c. Quoniam sunt de Consecrat. dist.* 3.

SARDICENSE.

4. Quamvis hoc Concilium fuérit Synodus Oecumenica, non tamen inter universalia approbata Concilia numeratur, quandoquidem cum Nicæno unum idemque censetur, cum utrique iidem ferè interfuerint Patres, & nil aliud constituerint, quam quod Nicænum confirmarint, Canonesque illius explicatos corroborarint.

Convocatum est hoc Concilium Sardicæ anno Christi 347. auctoritate Julii Romani Pontificis sub imperio Constantis. Præsedit Concilio Osius Cordubæ Præsul in Hispania qui missus erat à Papa

pa Legatus una cum Protegene Sardicæ Episcopo & Archidamo ac Philoxeno Presbyteris; Interfuêre Episcopi orthodoxi trecenti quadraginta quatuor, ut testatur Athanasius, qui Synodo adfuit; Vel, ut Socrates tradit *l.* 2. *c.* 16. trecenti septuaginta sex. Præter hos convenere Orientales ex Arii & Eusebianorum colluvie septuaginta sex Episcopi, qui causæ suæ diffisi clam recesserunt Philippopolim Thraciæ & citati juridicè detrectantes redire, ibidem Pseudo-Synodum habuerunt sub Præside Stephano Episcopo Antiocheno.

In hoc Concilio absolutus est Athanasius ab Eusebianis damnatus. Similiter Marcellus Ancyræ, Asclepas Gazæ, aliique ab Arianis abdicati Antistites, & ut ad proprias Ecclesias, expulsis inde invasoribus, remearent, constitutum est. Subscripsit primus Concilio Osius Episcopus Cordubæ, deinde Protogenes Sardicæ Episcopus, tum, quos Athanasius dicit Julii Romæ Episcopi Legatos, Archidamus & Philoxenus Presbyteri. Petierunt deinde per literas Patres à Julio Pontifice, ut Concilium confirmaret. *Sozom. l.* 3. *c.* 11. *Nicep. l.* 9. *c.* 12. idque eum feciisse patet ex eo, quod ipse Julius in Epistola ad Alexandrinos suam de Atha-

Athanasio restituendo sententiam à Synodo approbatam esse gratuletur. *Athan. Apol.* 2.

5. Canones Concilii Sardicensis numerantur viginti & unus.

Primo statuitur pœna in Episcopos transilientes de Episcopatu ad alium Episcopatum propria auctoritate.

Can. 2. Episcopus qui fraudulenter alterum ambivit Episcopatum, ne quidem Laica communione in fine vitæ dignus habeatur.

Can. 3. Episcopus ab alio Advocatus in provinciam vocantis transire potest. Ut appellationes Episcoporum ad Apostolicam Sedem emittantur.

Can. 4. Episcopo depositio non prius alius in ejus cathedram substituatur, quam Romanus Pontifex causa cognita sententiam tulerit.

Can. 5. De Episcopis accusatis à Pontifice Romano judicandis, si ad illum provocaverint, vel ad Comprovinciales Episcopos remittendis.

Can. 6. De non ordinandis Episcopis pervicos & modicas civitates.

Can. 7. De Episcopis accusatis.

Can. 8. Ne Episcopi passim ad comitatum pergant nisi à Principe fuerint accersiti

cersiti obtentis à Metropolitano literis. Et de officio Episcopi.

Can. 9. De Diaconis ad comitatum dirigendis.

Can. 10. Quod ad comitatum pro pupillis & Viduis ac necessitatem patientibus sit eundum.

Can. 11. Ut qui in canali (id est via, qua equi publicè per stationes singulas ad iter dispositi sunt) Episcopi euntes ad comitatum sollicitè discutiant.

Can. 12. De his qui ignorant, quid sit in Synodo constitutum.

Can. 13. Ne quis ad Episcopatum promoveatur nisi prius Lectoris, Diaconi & Presbyteri ministerio functus fuerit.

Can. 14. Ne Episcopus in aliena Provincia diutius sine necessitate immoretur.

Can. 15. Ne Episcopus à sua Ecclesia plus tribus hebdomadibus absit.

Can. 16. Ne Clericus à suo Episcopo excommunicatus ab alio suscipiatur.

Can. 17. Licere Clericis, si injustè fuerint excommunicati, vicinos adire Episcopos.

Can. 18. Non licere Episcopo alterius Clericum in sua Ecclesia ordinare.

Can.

Can 19. Ne Episcopus sibi non subditum ordinare præsumat sine consensu proprii Episcopi.

Can. 20. Ut extranei Clerici apud Thessalonicam non immorentur.

Can. 21. De suscipiendis his, qui persecutionem patiuntur.

CONSTANTINOP. I.

6. Secundum generale Concilium fuit Constantinopolitanum primum Constantinopoli A. Christi 381. secundum Baronium, vel ut tradit Bellarminus anno 383. indictum auctoritate Damasi Papæ, & consensu Theodosii Senioris Imp. ut constat ex gestis Damasi apud Baronium ad hunc annum, ejusdem Damasi Epistola apud Theodoretum *l. 2. c. 22.* & Epistola Concilii ad Damasum apud eundem Theodoretum *l. 5. hist. Eccl. c. 9.* Interfuerunt Episcopi Orientales Catholici 150. & Macedoniani sexsemi-Ariani 36. *Niceph. instit. Eccles.* Præsedit primusque Actis subscripsit Nestorius Regiæ urbis Episcopus, non vero Damasus Pontifex per se, vel per Legatos suos; Confirmavit tamen illud in his, quæ fidem Catholicam concernunt. *Photius in lib. de 7. Synodis.* Tres potissimum ob

causas convocatum est hoc Concilium: I. Ut fides Concilii Nicæni confirmaretur. II. Ut Ecclesiæ Constantinopolitanæ Præsul orthodoxus præficeretur. III. Ut Macedoniana hæresis asserens Spiritum sanctum esse creaturam, profligaretur. Tria vero sub Damaso non interrupta serie celebrata sunt Concilia; Primum Aquilejense, cui præsedit Valerianus Aquilejæ Antistes; Secundum dimisso Aquilejæ Concilio Romanum, cui ipse Damasus præsedit; ad utrumque invitati quoque sunt Episcopi Orientales. Tertium Constantinopolitanum quæ tres pari auctoritate edita in unum coäluere generale Concilium consentientibus occidentalibus, qui in Aquilejensi & Romano convenerant cum Orientalibus, qui Constantinopoli congregati erant. Septem tantum hujus Concilii afferuntur Canones.

7. Can. 1. Instauratur & roboratur fides de Filio DEI æternitate & consubstantiatialitate cum æterno Patre. Damnantur etiam impia Macedonii & Eunomii dogmata, & omnes Arianorum & Sabellianorum: Nec non Marcelli Ancyrani, Photii Sirmiensis, & Apollinaris Laodiceni Sectæ.

Can. 2. Ut Episcopi proprias gubernent Ecclesias. Habetur *c. Episcopi qui extra. 9. q. 2.*

Can. 3. Ne Episcopi ultra Diœcesin propriam ad alias accedant, nisi invitati fuerint.

Can. 4. Quomodo Ecclesiæ inter barbaras gentes existentes regendæ sint, Maximus Philosophus Cynicus damnatur, ejusque ordinatio declaratur irrita.

Can. 5. Episcopus Constantinop. habeat priores honoris partes post Romanum. Hic Canon occasionem dedit schismati Ecclesiæ Orientalis.

Can. 6. Statuitur Episcopos aliosque Clericos non esse accusandos ab excommunicatis, hæreticis aliisque reis, & rejiciendas eorum accusationes, usque dum accusatores se purgaverint. Item quod in accusatione Episcopi possit à Synodo Provinciali ad Majorem recurri.

Can. 7. Recipiendos esse hæreticos errorem suum abjurantes & rectæ fidei adscribi volentes.

EPHESINUM I.

8. Tertium est Ephesinum primum indictum auctoritate Cœlestini Papæ Theodosio juniore Imp. anno 431. juxta Baronium 430. juxta Bellarminum 434. Basso

Basso & Antiocho Coss. ad condemnandam hæresin Nestorii duas distinctas in Christo comminiscentis personas, divinam & humanam, & negantis Sanctissimam Virginem MARIAM Theotocon, hoc est DEIparam appellandam esse. Concilium celebrarunt Ephesi quæ est minoris Asiæ Metropolis Episcopi orthodoxi plus quam ducenti in æde B. V. MARIÆ pro cujus asserenda dignitate convenerant decimo Kal. Julii. Ter citatus Nestorius, & nil nisi convicia reponens hæresis præfractæ obstinationis convictus à sacra hac Synodo juxta sententiam à Pontifice anno præcedenti in Concilio Romano latam damnatus & omni gradu dignitatis spoliatus fuit. Præsedit nomine Pontificis præter alios Legatos Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui & primus mitram Pontificiam, & titulum Judicis universi Orbis à Cœlestino Papa, cujus personam sustinebat, accepit *Niceph. l.* 15. *c.* 34. Misit quoque Theodosius Imp. Irenæum & Candidianum Comites ad Synodi defensionem ea conditione, ut non immiscerent se negotiis fidei & Ecclesiasticis, quam tamen conditionem Comites, utpote Nestorio conjunctissimi non observarunt. Concilium confirmavit Pontifex, ut

constat ex Epistola Cœlestini II. ad Synodum scripta, & ex actis Concilii in causa Nestorii Romæ celebrati.

CHALCEDONENSE.

9. Quartum Concilium generale est Chalcedonense, quod apertum Chalcedone anno 451. 3. idus mensis Octobris auctoritate Leonis Pontificis & jussu Marciani Theodosii Successoris ut constat ex ejusdem Martiani Epistola ad Leonem I. Pontif. actis Concilii præfixa, Martiano & Adolpho Coss. in templo S. Virginis & Martyris Euphemiæ contra hæresin Dioscori & Eutychetis Archimandritæ, qui unam tantum in Christo naturam asserebant. Convenerunt Episcopi 630. ut habet Marcellinus in Chronico, Liberatus Diaconus in breviario *c.* 13. & Photius in septem Synodis *c.* 40. Leo Pontifex vero *Epist.* 77. *alias* 52. 600. ferè Episcopos interfuisse tradit. Præsederunt Concilio Legati Leonis Pontificis Paschasinus Lilybetanus, Lucentius Asculanus, Julianus Coënsis Episcopi & Bonifacius Presbyter. Post Legatos secundus sedit Anatolius Constantinopolis, tertius Dioscorus Alexandriæ, quartus Maximus Antiochiæ, quintus Juvenalis Jerosolymæ Episcopi, aliique dein-

deinceps suo ordine. Principes à Marciano missi cum amplissimo Senatu consederunt in medio ante cancellos altaris, ut patet ex acti. 1. Leo Papa confirmavit Synodum id petentem, ejusque gesta quæ fidem concernunt, ut habet Epistola ejus 59. ad Synodum.

10. Canones hujus Concilii referuntur viginti septem. In primo constituitur: Canones uniuscujusque Concilii conservandos.

Can. 2. Damnantur Episcopi, qui propter pecunias ordinationem fecerint Habetur. *c. Si quis Episcopus. 1. q. 1.*

Can. 3. Ne Episcopi, Clerici & Monachi neglecto sacro ministerio rebus sæcularibus ob lucrum se implicent. Citatur *c. Pervenit ad sanctam dist. 76.* Huc respicit Titulus Decretalium: *Ne Cler. vel Monach. sæc. negot. se implicent.*

Can. 4. Monachi subijciantur Episcopis, neque nova Monasteria vel Ecclesias ædificent absque eorum consensu. *c. Qui verè pureque 16. q. 1. & c. Quidam Monachorum 18. q. 2.*

Can. 5. Quod non liceat Episcopo aut cuilibet ex Clero de alia ad aliam transire civitatem.

Can. 6. Ut ordinandi certis Ecclesiis

adscribantur, neque absolutè ordinentur. Refertur *c. Neminem absolute dist.* 70.

Can. 7. Militiæ cœlesti adscripti ad sæcularem non redeant. Refertur, *c. Eos qui semel* 20. *q.* 3.

Can. 8. Rectores hospitaliorum, & qui ordinantur in Monasteriis Episcopis sint subjecti. Habetur *c. Quidem Monachorum* 18. *q.* 2.

Can. 9. Si Clerici inter se litigent coram Episcopo causam agant. Refertur *c. Si Clericus* 11. *q.* 1.

Can. 10. Non licet Clerico duabus eodem tempore Ecclesiis adscribi, neque per ambitionem de una in aliam se transferre.

Can. 11. Quibus literæ pacificæ vel commendatitiæ concedi debeant.

Can. 12. Ne una Provincia inter duos Metropolitanos dividatur.

Can. 13. Ut sine commendatitiis literis Clericus extra suam Ecclesiam non ministret. Refertur *c. Extraneo Clerico dist.* 71.

Can. 14. Quod non liceat Clericis alterius sectæ uxores ducere. Refertur, *c. Non oportet* 28. *q.* 1. *& c. Cave* 28. *q.* 1.

Can. 15. Diaconissa non ordinetur ante 40 ætatis annum, neque post ordinationem nubat. Habetur *c. Diaconissam* 27. *q.* 1.

can. 16.

Can. 16. Monachus vel Monialis DEO dicata à Connubio arcentur. Citatur *c. Si qua Virgo* 27. *q.* 1.

Can. 17. Parochiæ rusticanæ quibus Episcopis subijciantur. Habetur, *c. Per singulas* 16. *q.* 3.

Can. 18. Conjurationes adversus Episcopos prohibentur. Allegantur. *c. Conjurationum* 11. *q.* 1. *& c. Si qui Clerici ibid.*

Can. 19. In Provinciis bis in anno Concilia fiant, & corripiantur Episcopi qui ad Concilium vocati sine justa causa venire recusant. Habetur *c. Pervenit ad nostras dist.* 18.

Can. 20. Quod non liceat Clericis in aliam civitatem transmigrare, nisi eis qui in persecutione proprias amiserint civitates. Refertur *c. clericos in singulis dist.* 71.

Can. 21. Clerici aut Laici absque examinatione ad Episcoporum accusationem non admittantur. Allegatur *c. clericos* 2. *q.* 7.

Can. 22. Quod non liceat Clericis post mortem sui Episcopi res ad eum pertinentes diripere.

Can. 23. De Clericis & Monachis, qui præter voluntatem sui Episcopi ad Regiam Constantinopolim veniunt.

Can. 24. Quod non liceat Monasteria, quæ consecrata sunt, diversoria sæcularia fieri.

Can. 25. Ut intra tres menses Episcopi electi ordinentur.

Can. 26. Ut Episcopi dispensatores habeant. Citatur *c. Quia in quibusdam dist. 89.*

Can. 27. Contra illos, qui specie conjugii mulieres rapiunt. Habetur *c. Eos qui rapiunt 36. q. 2.*

CONSTANTINOP. II.

11. Quintum generale & legitimum (ut constat ex Act. 1. Nicæni secundi) Concilium fuit Constantinop. secundum ad instantiam Justiniani à Theodoro Cæsarienſi seducti auctoritate Vigilii Rom. Pontificiis quamvis inviti convocatum anno Christi 553. Convenerunt Calendis, vel ut habet tom. Concil. quarto Maij in Secretario centum sexaginta secundum Cabassutium in notitia Eccles. quibus Pontifex licet Constantinopoli præsens esset, nec per se, nec per Legatos suos præsidere voluit; Sed præsedit & primus subscriptione sua hanc Synodum firmavit Eutychius Constantinopolitanus.

Statutum est de tribus Capitulis propositis, nimirum de libris Theodori Mopsuesteni, de Theodoreti Anathematismis adversus Cyrillum & de Idæ Epistola, omniaque ut impia rejecta sunt.

Ad-

Adhæc errores quoque Originis hæc eadem Synodus condemnavit. Finitum est Concilium eodem, quo cæptum est anno quarto Non. Jun. habitis collationibus octo. Acta Synodi latinè tantummodo supersunt exceptis quibusdam græcis Epistolis & fragmentis, in quibus tamen non pauca viri eruditi agnoscunt suppositicia. Synodum hanc ab initio Vigilius S. Pontifex approbare renuit, ideoque in tetrum carcerem detrusus est, inde tamen liberatus post medium annum eam probavit Epistola ad Eutychium data, quæ nunc extat opera Petri de Marca in 12. tom. Concil. impressionis Parisiensis p. 262. & posterioris editionis Tom. 5. p. 595. Hæc Synodus nullos conscripsit Canones.

CONSTANTINOP. III.

12. Sextum generale Concilium fuit Constantinopolitanum tertium A. 680. cum consensu Agathonis Papæ ab Imperatore Constantino Pogonato convocatum & cæptum indictone nona 17. Novembris Constantinopoli intra Palatii Imperialis Secretarium, quod cognominatum est Trullus; Est autem Trullus seu trulla sublimis fornix in altum porrectus, & in rotundum concameratus;

Itali

Itali vocant Cuppulam Baron. A. 680. n. 4 Interfuere Episcopi 289. & præsederunt Theodorus & Georgius Presbyteri, & Joannes Dianonus Agathonis S. Pontificis Legati. Præsens quoque adfuit Imperator omnibus fere actionibus in eminentiore loco considens, sed non ut Judex, verum ut Propugnator, ideoque sententiam non tulit, & ultimus subscripsit.

In hoc Concilio approbatur primum, quæ in quinque præcedentibus Synodis Oecumenicis stabilita fuerunt. Deinde decrevit contra Monothelitas, duas in Christo Domino esse voluntates totidemque actiones, divinam & humanam, atque hanc divinæ per omnia subditam & consentientum, & contrarium sentientes tanquam hæreticos damnat. Terminata est Synodus anno 690. 17. Sept. & Patres cum Imperatore mittunt ad Agathonem rogantes, ut quæ sancita erant Apostolica auctoritate firmaret. Cum vero priusquam Synodicæ hæ literæ Romam perlatæ essent, Agatho obierit, Leo secundus ejus Successor Synodum comprobavit secundum communiorem sententiam, licet Baronius & Binius Leonis Epistolam confirmatoriam suppositiam velint. Neque hæc Synodus Canones confecit. Nl.

NICÆNUM II.

13. Septimum Concilium generale fuit Nicænum ſecundum convocatum ab Impetatore Conſtantino & Irene ejus matre conſenſu Adriani I. S. Pontificis A. 787. Convenêre Nicææ quæ Metropolis eſt Bithyniæ Epiſcopi 356. multique cum delectis Monachis Archimandritæ & prima ab eis Actio eſt habita 8. Cal. Octobris. Præſederunt Legati Apoſtolici Petrus Archi-Presbyter Baſilicæ S. Petri, & Petrus Abbas S. Sabbæ, qui & primi nominantur & ſubſcripſerunt. In hoc Concilio decretum ſancitur de SS. Imaginum & Reliquiarum veneratione, Contradicentes vero hæretici declarantur & anathemate feriuntur. Plures quoque Epiſcopi Iconoclaſtæ abjurata hæreſi reconciliati ſunt, & priſtinæ dignitati reſtituti. Finitum eſt Concilium 4 Idus Octobris eodem anno quo cæptum, qui dies tanta in veneratione eſt apud Orientales ut eum feſtive celebrent ac notarint in menologio ſuo hoc modo: *Die* 12. *Octobris ſanctæ ſeptimæ Synodi trecentorum ſexaginta ſeptem Patrum commemoratio Boyvin. Theol. p.* 4. *de Concil.* Confirmatum eſt ab Hadriano Pontifice, qui illud etiam apud Carolum Magnum

gnum Occidentis Imp. ab aliorum criminationibus defendit.

14. Canones hujus Concilii referuntur viginti & unus:

Can. 1. Sex Oecumenicæ Synodi, quæ præcesserunt earumque Canones firmantur.

Can. 2. Decernitur ut Episcopi ordinandi promittant se sacros Canones servaturos: ubi etiam traditur boni Pastoris officium.

Can. 3. Prælatorum electiones vi & potestate Principum sæcularium factæ declarantur nullæ: Habetur 16. *q.* 7. *Si quis Episc.*

Can. 4. Pœna talionis puniendus Antistites, qui injustè suos Clericos arcet à divino ministerio, & templum claudit.

Can 5. Qui per Simoniam promoventur ad dignitates Ecclesiæ, & ipsi & Ordinatores deponantut, & pœnis Canonum subijciantur.

Can. 6. Synodi Provinciales celebrentur saltem semel singulis annis.

Can. 7. Templa sine reliquiis Sanctorum ne consecrentur.

Can. 8. Judæi fingentes se esse Christianos, & Christum occulte subsannantes, ab Ecclesia extrudantur, sed verè conversi recipiantur.

Can.

Can 9. Scripta & dicta contra Sanctas Imagines cum reliquis libris hæreticis reponantur & publicè comburantur.

Can. 10. Ne Clerici paræcia propria relicta in alias excurrant: neque curas seculares & mundanas suscipiant.

Can. 11. De Oeconomis in Ecclesia instituendis.

Can. 12. Ne Prælatus secularis res suæ Ecclesiæ alienet, sed eas administret tanquam DEO intuente.

Can. 13. Condemnantur, qui monasteria communia faciunt habitacula.

Can. 14. Tonsurati in Ecclesia officio Lectoris fungantur ante manuum impositionem. *c. Quoniam dist.* 69. Permittitur Abbatibus, si Sacerdotes sint & ab Episcopo benedicti, Lectores ordinare proprios Monachos.

Can. 15. Ne quis deinceps duabus Ecclesiis præficiatur, sed una sit contentus, eique debita officia persolvat. *c. Clericus* 21. *q.* 1.

Can. 17. Prohibetur Clericis luxus & ornatus corporis. *c. Omnis jactantia* 21. *q.* 4.

Can. 17. Monachis prohibetur Oratoria ædificare, si non habeant quæ ad perfectionem pertinent.

Can. 18. Ne ulla mulier in domo Episcopali vel Monasteriis admittatur.

Can. 19. Ne quis ad Sacerdotalem Ordinem aut vitam Monasticam mediante pecunia admittantur.

Can. 20. Monasteria Monachorum & Monialium sibi cohærentia prohibentur, imo etiam confabulationes. 18. *q.* 2. *c. Definimus.*

Can. 21. Non oportet Monachum aut Monialem proprium relinquere Monasterium, & ad aliud se conferre sine obedientia Superioris.

CONSTANTINOP. IV.

15. Octavum Oecumenicum Concilium est Constantinopolitanum quartum coactum à Basilio Imp. assentiente Adriano Papa secundo, cujus prima Actio habita est Constantinopoli A. 869. 3. Non. Octob. à centum duobus Episcopis, ut scribit Nicetas; Concilio prosederunt Legati Apostolici Stephanus & Donatus Episcopi & Marinus Diaconus. Interfuit quoque Basilius Imp. sed in fine protestatus est non esse suum, nec ullius Laici negotiis Ecclesiasticis se immiscere ideoque licet ante Episcopos jussu Legatorum, post Patriarchas tamen omnes subscripsit Synodum solum acceptans, protestan-

testansque se post Episcopos subscribere debuisse. Revocatus est in hac Synodo Ignatius ab exilio Sedique Constantinopolitanæ restitutus; Photius vero cum sequacibus damnatus est & Patres anathemati subscripsêre atramento sanguine Christi diluto, ut perhibet Nicetas in vita Ignatii. Ultima actio est habita ultima Februarii A. 870. & confirmatio petita à Pontifice, quam impetratam esse testatur Baronius aliique.

16. Constituti sunt à Patribus Canones 27. in Anastasii versione extantes. In primo edicitur servandas esse traditiones Apostolicas non scriptas, perinde ac divinas scripturas.

Can. 2. Firmantur Nicolai & Adriani definitiones pro Ignatio contra Photium.

Can. 3. Venerandas esse sacras imagines.

Can. 4. Photius declaratur nunquam fuisse Episcopus, & quod Ordinationes ab eo factæ irritæ sint.

Can. 5. Neophytos ad Episcopatum non esse assumendos; In collatione ordinum interstitia servanda esse.

Can. 6. Res gestas per Photium nullius esse roboris.

Can. 7. Ne sacras imagines anathematizati depingant.

can.

Can. 8. Ne chirographa ab Episcopis exigantur, nisi ex more, tempore consecrationis.

Can. 9. Ut extorta per Photium hujusmodi chirographa nullius sint roboris.

Can. 10. Ne quis ante sententiam separetur à communione proprii Patriarchæ.

Can. 11. Anathematizati omnes cum Photio credentes duas in uno corpore esse animas.

Can. 12. Ne favore Principum eligantur Episcopi.

Can. 13. Ut nonnisi, qui in eadem Ecclesia militarunt, ad majores gradus promoveantur, & non aliunde petiti. Damnantur etiam, qui dissidium excitant inter Summum Pontificem & Concilia Oecumenica.

Can. 14. Ne promoti ad Episcopatum indecentia obsequia exhibeant Magistratibus.

Can. 15. Ne alienentur cimelia Ecclesiæ, possessiones vendantur vel dentur in Emphyteusim.

Can. 16. Ne Laici lusus causa sacra indumenta gestent Sacerdotum.

Can. 17. Patriarcharum jura in convocandis Metropolitanis illibata servantur, execraturque S. Synodus dicentes inva-

invalidas esse Synodos, quibus non interfit Princeps.

Can. 18. Privilegia Ecclesiarum conservanda.

Can. 19. Visitationes Ecclesiarum sine omni avaritiæ suspicione peragantur.

Can. 20. Ne sibi jus dicat Episcopus in rebus Ecclesiasticis.

Can. 21. Exhibendus honor & reverentia omnibus Patriarchis, præcipuè vero Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici.

Can. 22. De Summorum Sacerdotum electione.

Can. 23. A rebus, personis, & sacris actionibus alienæ Diœcesis abstinendum.

Can. 24. Ne Archi-Episcopi per alios suas Ecclesias curent Suffraganeos.

Can. 25. Ne qui hactenus adhærentes Photio Episcopi consecrati à Methodio sive Ignatio, etiamsi resipiscant, spem ullam habeant restitutionis Episcopatus.

Can. 27. Ut beneficium appellationis ad majores Sedes sit cuique Clerico liberum.

Can. 27. Ne Episcopi pallio utantur nisi loco & tempore congruo, & ne Monachi ad Episcopatum assumpti Monasticum habitum deponant.

LATERANENSE I.

17. Novum generale Concilium & primum in Occidente celebratum est Lateranense A. 1123. ut habet Gabriel Cossardus *in annot.* convocatum à Calliſto II. Pontifice ad ſedandum ſchiſma ſub Henrico IV. Imp. exortum & terram Sanctam à Saracenis recuperandam, in Eccleſia S. Salvatoris, quod olim fuit Palatium Conſtantini Imp. exſtructum in fundo cujusdam civis Romani, qui dictus eſt Lateranus à quo & nomen retinuit Eccleſia. Interfuerunt Concilio plures quam trecenti Epiſcopi, ut tradit Abbas S. Dionyſii, qui præſens adfuit, ſecundum Abbatem Urſpergenſem, quadringenti viginti ſex. Præſedit ipſe Pontifex Henrico V. Imp. non procul abſente, & confirmavit.

18. Canones editi ſunt ſequentes pro priſtina diſciplina Eccleſiæ reſtituenda. Can. 1. Prohibentur ordinationes & promotiones Simoniacæ.

Can. 2. Nullus in Præpoſitum, Archi-Presbyterum vel Decanum niſi Presbyter, nullus in Archi-Diaconum niſi Diaconus ordinetur.

Can. 3. Presbyteris, Diaconibus & Subdiaconibus mulierum, niſi quas ob neceſſi-

necessitatem Nicæna Synodus permittit, cohabitatio interdicitur.

Can. 4. Laici nullam habeant de rebus Ecclesiasticis disponendi facultatem.

Can. 5. Conjugia consanguineorum prohibentur.

Can. 6. Ordinationes à Burdino hæresiarcha factæ irritæ decernuntur.

Can. 7. Animarum curæ nemini sine consensu Episcopi commitenda est.

Can. 8. Ne quis possessiones S. Romanæ Ecclesiæ invadat.

Can. 9. Excommunicati à propriis Episcopis ab aliis in communionem non recipiantur.

Can. 10. Nullus consecretur Episcopus nisi canonicè electus.

Can. 11. Indulgentiæ conceduntur iis qui contra infideles auxilium præbuerint, eorumque bona in protectione Romanæ Ecclesiæ suscipiuntur.

Can. 12. Porticanorum sine hæredibus morientium bona contra morientium deliberationem non pervadantur.

Can. 13. Treguam diffringentium pœna statuitur.

Can. 14. Interdicitur ne à Laicis oblationes in templis factæ auferantur, nec Ecclesiæ incastellentur, aut in servitutem redigantur.

Can. 15. Falsam monetam cudens & pendens tanquam pauperum oppressor excommunicatur.

Can. 16. Excommunicationis pœna infligitur illis, qui spoliant peregrinos visitantes limina Apostolorum & Sanctorum oratoria.

Can. 17. Ne Abbates & Monachi publicas dent pœnitentias, infirmos visitent, unctiones faciant & Missas publicas cantent. Chrisma, Oleum, Consecrationes altarium & Ordinationes clericorum ab Episcopis accipiant.

Can. 18. Parochi ab Episcopis constituantur, nec accipiant decimas & Ecclesias sine consensu Episcoporum.

Can. 19. Servitia Monasteriorum Episcopis facta conceduntur. Possessiones Ecclesiarum & Episcoporum tricennales non habeant Abbates & Monachi.

Can. 20. Immunitas bonorum & personarum Ecclesiæ stabilitur.

Can. 21. Continentia Clericorum & Monachorum præcipitur.

Can. 22. Alienationes bonorum Ecclesiæ & beneficiorum prohibentur.

LATERANENSE II.

19. Decimum generale Concilium fuit Lateranense secundum celebratum A. 1139.

1139. à mille fere Episcopis sub Innocentio II. contra Anacletum & Victorem Antipapas, & Arnaldum de Brixia, nec non pro reformatione morum. Præsedit ipse Pontifex & Concilium confirmavit.

20. Canones hujus Concilii extant sequentes. Can. 1. Ptohibentur Ordinationes & promotiones Simoniacæ.

Can. 2. Vendentes & ementes Præbendas, dignitates Ecclesiasticas & res sacras deponuntur honore male quæsito, & fiunt infames. Allegatur 1. *q.* 3. c. *Si quis Præbendas.*

Can. 3. Excommunicati à suis Episcopis ab aliis non suscipiantur. Et Excommunicato scienter communicans pari sententiæ tenetur obnoxius.

Can. 4. Episcopi & Clerici in statu mentis & habitu corporis DEO & hominibus placere studeant; Nec sint offendiculo in superfluitate, scissura aut colore vestium. 21. *q.* 4. *c. Præcipimus.*

Can. 5. Ne bona Episcoporum & Clericorum decedentium diripiantur. 12. *q.* 2. *c. Illud.*

Can. 6. Matrimonium Subdiaconis, & in altiore Ordine constitutis interdicitur. *Dist.* 28. *c. Decernimus.*

Can. 7. Præcipitur continentia Clericis & Monachis, & quod nemo Missas

concubinarii audiat. 27. *q.* 1. *c. Ut Lex.*

Can. 8. Et Monialibus continentia præcipitur. 27. *q.* 1. *c. Ut Lex.*

Can. 9. Ne Monachi & Canonici Regulares leges sæculares & medicinam addiscant.

Can. 10. Decimæ Ecclesiarum ne à Laicis possideantur. 16. *q.* 7. *c. Decimas.* Nullus in Archi-Diaconum vel Decanum, nisi Diaconus vel Presbyter ordinetur. *Dist.* 60. *c. Innovamus.* Unaquæque Ecclesia proprium habeat Sacerdotem 21. *q.* 2. *c. Præcipimus.*

Can. 11. Ut Clerici, peregrini & rustici cum suis animalibus sint securi.

Can. 12. Tregua quando observanda. *Dist.* 90. *c. Præcipimus. Item Extrav. c.* 1. *de tregua & pace.*

Can. 13. Usurarii non recipiantur, sed infames habeantur.

Can. 14. Ludi periculosi interdicuntur.

Can. 15. In Clericos & Monachos violentas manus injicientes excommunicantur. *c. Si quis suadente* 17. *q.* 4.

Can. 16. Ne Ecclesiastica beneficia vel officia hæreditario jure possideantur. *c. Apostolica* 8. *q.* 4.

Can. 17. Incestus prohibetur. *c. Conjunctiones Consanguineorum* 35. *q.* 2. *&* 3.

can.

Can. 18. Incendiarii excommunicantur. *c. Peßimam. 23. q. 8.*

Can. 19. Episcopi statuta contra Incendiarios relaxantes damnum restituant. *c. Peßimam. 23. q. 8.*

Can. 20. Principibus facultas faciendæ justitiæ contra eos non negatur.

Can. 21. Filii Presbyterorum illegitimi à ministeriis Altaris removentur, nisi in cœnobiis Religiosè conversentur. *c. Presbyterorum dist. 56.*

Can. 22. De falsa pœnitentia. *Dist. 5. c. 8.*

Can. 23. Hæresis Petri de Bruis damnatur.

Can. 24. Pro chrismate, Oleo sacro & sepultura nil detur.

Can. 25. Beneficia Ecclesiastica de manu Laici ne accipiantur.

Can. 26. De Clausura Monialium. *c. Perniciosam 18. q. 2.*

Can. 27. Ne Moniales simul cum Cononicis vel Monachis in uno choro Ecclesiæ psallent. *c. Pernicioſum 18. q. 2.*

Can. 28. Canonici de sede Episcopali non excludant Religiosos. *c. Obeuntibus dist. 63.*

Can. 29. Prohibentur artes Balli, stadiorum & sagittariorum adversus Christianos exerceri.

Can. 30. Ordinationes ab Antipapa & hæreticis factæ irritantur.

LATERANENSE III.

21. Undecimum generale fuit Lateranense tertium convocatum ab Alexandro Papa III. A. 1179. in Constantiana Basilica, cui interfuerunt 300 Episcopi teste Guillelmo Archi-Episcopo Tyrio *l. bell. Sac.* 21. *c.* 2. Præsedit ipse Pontifex & Concilium confirmavit; Coactum vero fuit contra Catharos (quos Waldenses & Albigenses alii appellant) Schismaticosque ab Antipapis ordinatos, & pro reformanda in moribus Ecclesia.

22. Agitur vero Can. 1. De electione Summi Pontificis. *c. Licet de Elect.*

Can. 2. Gesta per Antipapam irritantur.

Can. 3. De electione & confirmatione Episcoporum. *c. cum in cunctis de Elect.*

Can: 4. De impensis Procurationum seu visitationum moderandis. *c. cum Apostolus de censibus.*

Can. 5. De titulo Clericali: & quod Episcopos Clericum sine patrimonio seu titulo ordinatum alere teneatur. Refertur *c. Episcopus si aliquem & c. Non licet de Præb.*

Can. 6. Ne suspensionis vel excommuni-

municationis ſententia abſque præmiſſa commonitione proferatur. *c. Reprehenſibilis de appellat.*

Can. 7. Ne pro inſtallatione Prælatorum, pro exequiis defunctorum, benedictione nubentium, omniumque adminiſtratione Sacramentorum aliquid exigatur, ſed detur gratis, quod gratis receptum eſt. *c. Cum in Eccleſiæ corpore de Simon.*

Can. 8. Beneficia vel officia Eccleſiaſtica non conferantur neque promittantur antequam vacent. *c. Nulla de conceſſ. præb.*

Can. 9. De interdicta Eccleſia, & ſepultura interdictorum.

Can. 10. Monachi non recipiantur pretio: non præficiantur Eccleſiis Parochialibus; peculium habere non permittantur, & alia quædam de diſciplina regularium.

Can. 11. De continentia Clericorum: *c. Monaſt. de vita & honeſt. cler.*

Can. 12. Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti Advocati vel Procuratoris munere non fungantur coram Judice ſæculari, niſi pro Eccleſia vel miſerabilibus perſonis. *c. Sed nec procurationes: Ne Cler. vel Monachi ſæc. negot.*

Can. 13. De prohibita pluralitate beneficiorum.

can

Can. 14. Iterum pluralitas beneficiorum prohibetur. Ne Clericos in Ecclesiis instituant aut destituant Laici, vel Ecclesias exactionibus gravent. Ne ad suum forum pertrahant & judicio suo stare compellant. Ne decimas Ecclesiæ debitas cum animæ suæ periculo detineant. *c. Præterea de jur. patr.*

Can. 15. Clerici de bonis Ecclesiæ vel illius intuitu quæsitis disponere non possunt, sed penes Ecclesiam remanere debent. *c. Cum in officiis, de test.*

Can. 16. Quod fit à majore parte Capituli ratum habeatur. Habetur *c. 1. de his quæ fiunt à majo. par. capit.*

Can. 17. De jure patronatus. *c. Quoniam in quibusdam de jure patron.*

Can. 18. De præbenda præceptoriali. *c. 1. de Magist.*

Can. 19. De immunitate Ecclesiarum. *c. Non minus, de immunit. Eccl.*

Can. 20. De Torneamentis & aliis ludis periculosis inhibendis. *c. 1. de Torneamentis.*

Can. 21. De Treguis servandis.

Can. 22. De pace servanda.

Can. 23. De leprosis à communi cœtu separandis.

Can. 24. Ne arma & alia id genus ad hostes Christiani nominis deferantur.

Ne

Ne quid moleſtiæ inferatur Chriſtianis negotiationibus.

Can. 25. Uſurarii manifeſti excommunicantur.

Can. 26. Chriſtiani non habitent cum Judæis aut Saracenis.

Can. 27. Varii damnantur hæretici, & nominatim Albigenſes, & Cathari, pluribus conceſſis indulgentiis & privilegiis Principibus, qui contra ipſos ſacram expeditionem moverint.

LATERANENSE IV.

23. Duodecimum generale Concilium fuit Lateranenſe quartum convocatum ab Innocentio III. A. 1215. in Eccleſia Conſtantiana menſe Novembri; Cui ipſe Pontifex præſedit, & convenêre Epiſcopi duodecim ſupra quadringentos inter quos Patriarchæ Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus, ſed Alexandrinus & Antiochenus abſentes hic ob morbum, iſte ob nimiam diſtantiam ſuos miſere Apocriſarios. Abbates præterea & Priores Conventuales 800. Interfuere quoque Imperatorum Orientis & Occidentis, multorumque Regum ac Principum Legati. In eo actum contra hæreſes Albigenſium, & errores Joachim Abbatis

batis Florensis Monasterii, & de recuperatione terræ sanctæ.

24. Canones hujus Concilii septuaginta hæc continent. Can. 1. Proponitur fidei Symbolum.

Can. 2. Damnatur Abbatis Joachim error & petulantia adversus Petrum Lombardum, cujus sententia de Trinitate & Unitate divinæ substantiæ asseritur. *c.* 1. *&* 2. *de Summ. Trinit.*

Can. 3. De pœnis hæreticorum pervicacium. *c. Excommunicamus de hæret.*

Can. 4. De superbia Græcorum contra Latinos. Habetur *Tit. de Baptismo & ejus effectu.*

Can. 5. De sedium Patriarchalium ordine & præcedentia ac prærogativis. *c. Antiqua de privilegiis.*

Can. 6. Ut singulis annis Concilia Provincialia celebrentur. *c. Sicut olim de accus. inquis. & denunt.*

Can. 7. Ut Prælati ad corrigendos subditorum excessus maximè Clericorum diligenter intendant, & qualem in Canonicos Ecclesiæ Cathedralis jurisdictionem exercere possint. *c. Irrefragabili de offic. Jud. ordin.*

Can. 8. Qualiter debeat Prælatus procedere ad inquirendum & puniendum subditorum excessus, Quomodo procedendum

dendum adversus Prælatorum ipsorum excessus. *c. Qualiter de accusat.*

Can. 9. De diversis ritibus in eadem fide per Episcopum tolerandis. Habetur *c. Quoniam de offic. Jud. ordin.*

Can 10. Ut Prælati per se, vel per viros idoneos verbum DEI populo sibi commisso ministrent, cæteraque ad salutem animarum necessaria. *c. Inter cætera de offic. Jud. ordin.*

Can. 11. De Magistris scholarum in Cathedralibus Ecclesiis aliisque instituendis, & de Præbenda præceptorali illis assignanda. De Theologo in Ecclesia Metropolitana & Præbenda Theologali. *c. Quia nonnullis. De Magistris.*

Can. 12. De reformatione Regularium per frequentes visitationes & Capitula Provincialia.

Can. 13. Prohibentur novæ Cœnobitarum Religiones, cui tamen postea derogatum fuit.

Can. 14. De disciplina Ecclesiastica & reformatione morum, & de continentia Clericorum. *c. ut Clericorum. De vita & honest. cleric.*

Can. 15. A crapula & ebrietate, venatione & aucupio Clerici abstineant. *c. A crapula de vita & hon. cleric.*

Can. 16. Ut Clerici officia & commercia

cia sæcularia non exerceant. *Clerici officia. De vita & honest. Cler.*

Can. 17. De divino officio nocturno diurnoque piè & diligenter celebrando. *c. Dolentes. De celebr. Miss.*

Can. 18. A judicio sanguinis Clerici abstineant; Et à Chirurgiæ exercitio, seu parte quæ ustionem vel incisionem inducit. *c. Sententiam. Ne Cleric. vel Monach.*

Can. 19. Ut vasa sacra, corporalia & vestimenta ministrorum munda & nitida conserventur. *c. 2. de custod. Euchar.*

Can. 20. Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia conservanda. *c. 1. de cust. Euch.*

Can. 21. Ut fideles omnes saltem semel in anno peccata proprio Sacerdoti confiteantur, & Eucharistiæ Sacramentum ab eo reverenter suscipiant in Pascha. *c. Omnis utriusque sexus. De pœnit. & remiss.*

Can. 22. Ut Medici moneant & inducant ægrotos quos curant, quod prius de salute animæ quam corporis cogitent, & Confessarios Sacerdotes advocent. *c. Cum infirmitas, De pœnit. & remiss.*

Can. 23. Ut Ecclesiæ Cathedrali vel regulari viduatæ Pastore intra tres menses provideatur. *c. Ne pro defectu, De Elect.*

can.

Can. 24. De forma eligendi Prælatos Ecclesiasticos. *c. Quia propter, de Elect.*

Can. 25. Ne quis patiatur se elegi per Potestates sæculares contra Canonicam libertatem. *c. Quisquis electioni, De Elect.*

Can. 27. Ne indigni promoveantur ad Ordines sacros, & regimen animarum. *c. Cum sit ars, de ætat. & qual. ordin.*

Can. 28. De resignatione Beneficiorum. *c. Quidam de Renunt.*

Can. 29. Ne quis plures dignitates Ecclesiasticas, vel Parochiales Ecclesias recipiat: & de incompatibilitate Beneficiorum. *c. De multa, de Præb.*

Can. 30. Idonei præficiantur Ecclesiis & reijciantur indigni. *c. Grave nimis, de Præb.*

Can. 31. Ne filii Canonicorum in sæcularibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt eorum Patres, admittantur. *c. Ad abolendam, de filiis Præb.*

Can. 32. De congrua portione Parochis assignanda *c. Extirpandæ, de Præb.*

Can. 33. De visitatione Ecclesiarum.

Can. 34. Procurationes Legatorum æqualiter colligendæ.

Can. 35. De appellatione ante Sententiam. *c. Ut debitus honor, de Appell.*

Can. 36. Judex revocans gravamen, à quo est appellatum, potest procedere in causa

causa principali, nisi aliunde sit suspectus. *c. Cum cessante, de appell.*

Can. 37. Ne quis ultra duas diætas extra Diœcesin in jus vocetur. *c. Nonnulli de Rescript.*

Can. 38. De Notario seu Graphario ad scribenda acta judicialia, ne fides veri pereat. *c. Quoniam contra, de probat.*

Can. 39. De restitutione spoliatorum. *c. Sæpe contingit, de restit. spoliat.*

Can. 40. Adversus contumaces in judicio. *c. Contingit, de dolo & contum.*

Can. 41. Præscriptio sine bona fide non procedit. *c. Quoniam omne, de præscript.*

Can. 42. Ne jurisdictionem Ecclesiasticam Laici usurpent, neque Clerici jura Laicorum.

Can. 43. Clericus fidelitatem Laico non faciat.

Can. 44. Constitutiones Principum non præjudicent Ecclesiis.

Can. 45. Patronus occidens vel mutilans Clericum amittit jus Patronatus.

Can. 46. Clerici etiam propter communes utilitates gravari non possunt. *c. Adversus Consules, de immun. Eccl.*

Can. 47. De monitoriis præmittendis ante fulminationem censurarum Ecclesiasticarum.

Can. 48. De exceptione recusatoria, & appellationis beneficio. *c.* Cum *speciali, de appell.*

Can. 49. Ne quis ferat sententiam excommunicationis vel absolutionis per avaritiam.

Can. 50. Impedimentum matrimonii inter consanguineos, vel affines non excedat quartum gradum. *c.* Non *debet, de consang. & affin.*

Can. 51. Clandestina conjugia inhibentur. *c.* Cum *inhibitio de clandest. desponsa.*

Can. 52. Testes de auditu non recipiantur ad probandum impedimentum matrimonii ex causa consanguinitatis, vel affinitatis. *c.* Licet 47. *de test. & attest.*

Can. 53. De decimis prædiorum.

Can. 54. Ut prius solvantur decimæ quam tributa. *c.* Cum *non sit, de Decimis.*

Can. 55. Decimæ quomodo solvendæ à Religiosis Cistercienſibus & aliis. *c.* Nuper *Abbates, de Decimis.*

Can. 56. Decimæ non negandæ propter pactum aliquorum.

Can. 58. Privilegiorum verba interpretanda.

Can. 58. Tempore interdicti Ecclesiastici generalis possunt Episcopi & Monachi januis clausis divina officia celebrare. *c.* Quod *nonnullis, de Privilegiis.*

can.

Can. 59. Religiosus non fidejubeat sine licentia.

Can. 60. Ne Abbates jura Episcopalia usurpent *c. Accedentibus, de Excessu Præl.*

Can. 61. Presbyteri regulares vel sæculares Ecclesiis Parochialibus præficiendi, debent institui ab Episcopo. *c. In Lateran. de Præb.*

Can. 62. Reliquiæ Sanctorum extra capsam non ostendendæ. *c. ult. de reliq & ven.* De quæstoribus Eleemosynarum. *c. cum ex eo de pœnit. & remiss.*

Can. 63. Ne pro consecratione Episcoporum, Benedictione Abbatum, & collatione Ordinum quidquam exigatur. *c. Sicut de Simonia.*

Can. 64. Ne Moniales dato pretio recipiantur in Monasteria.

Can. 64. De Simonia.

Can. 66. Pravæ exactiones pro exequiis mortuorum & benedictionibus nubentium prohibentur: Sed & piæ consuetudines aliquid erogandi servandæ sunt. *c. Ad Apostolicam de Simonia.*

Can. 67. Ne Judæi graves usuras à Christianis extorqueant.

Can. 68. Præcipitur Judæis gestare aliquod indumenti genus, quo à Christianis distinguantur.

can.

Can. 69. Ne Judæi & Pagani publicis officiis præficiantur.

Can. 70. Ne Judæi conversi quidquam de superstitionibus Judaicis retineant.

LUGDUNENSE I.

25. Decimum tertium generale fuit Lugdunense primum Lugduni in Gallia indictum ab Innocentio IV. A. 1245. cui ipse Pontifex præsedit considente ad dexteram ejus Imperatore Constantinopolitano, & ad sinistram aliis Principibus Laicis. Interfuere Episcopi 140, quos inter Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochensis, & Aquilejensis. Depositus in eo est Fridericus II. Imp. illique subrogatus Henricus Thuringiæ & Hassiæ Landgravius, & actum de expeditione in terram sanctam suscipienda. Acta ejus approbata sunt à Pontifice eodem.

26. Canones hoc Concilio conditi sunt sequentes, & relati à Bonifacio VIII. in lib. 6. Decretalium.

De clausula: *Quidam alii*, in rescriptis Apostolicis ultra quatuor non extendenda. *c. Cum in multis de rescriptis in 6.*

De Postulatione & Electione Prælatorum, & de propria formula utriusque servanda *c. 1. de Postulatione Prælati in 6.*

Continentia causæ non dividenda, & de mutuis petitionibus ac reconventionibus coram eodem Judice. *c. Dispendia de rescript. in 6.*

De oppositionibus adversus electionem vel postulationem intra certum tempus prosequendis. *c. 1. de elect. in 6.*

In Electionibus & Postulationibus vota conditionalia & incerta reprobantur. *c. in Electionibus, de elect. in 6.*

De Conservatoribus Apostolicis. *c. 1. de offic. & potest. Jud. deleg.*

De Legatorum Apostolicorum potestate circa beneficiorum collationem. *c. 1. de offic. Leg. in 6.*

Metropolitanus Remensis & alii in Diœcesibus Suffraganeorum foraneos Officiales constituere non possunt. *c. 1. de offic. ordin. in 6.*

Judex delegatus à Papa non potest absque speciali mandato compellere partes, ut coram se personaliter compareant, nisi &c. *c. 1. de judiciis.*

Exceptio peremptoria litis contestationem non impedit, nisi agatur de re finita: *c. 1. de litis contest. in 6.*

De Actore intra terminum non comparente. *c. 1. de dolo & cont. in 6.*

Missio in possessionem non fit ob contumaciam partis in causis beneficialibus.

c. 1.

c. 1. *de eo qui mittit in posses. cauſ. rei ſerv. in* 6.

De poſitione negativa admittenda ex æquitate *c.* 1. *de confeſſis in* 6.

Advocatus vel Procurator in priori judicio an poſſit eſſe teſtis in cauſa appellationis. *c. Romana de teſt. in* 6.

De Exceptione excommunicationis. *c.* 1. *de except. in* 6.

De Exceptione ſpoliationis. *c.* 1. *de reſtit. ſpoliat. in* 6.

De pœna Judicis male judicantis per ſordes corrupti. *c.* 1. *de ſent. & re judic. in* 6.

Summus Pontifex Imperatorem deponere poteſt ex juſtis cauſis. *c. Ad Apoſtolicæ de ſent. & re judic. in* 6.

De Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam certa forma interponendis. *c.* 1. *de appell. in* 6.

De exceptione recuſatoria Judicis ſuſpecti. *c. Legitima de appellat. in* 6.

Decretum contra Aſſaſſinos & homicidas. *c.* 1. *de homic. in* 6.

De Exemptis qua ratione coram Judicibus ordinariis conveniri debeant *c.* 1. *de privil. in* 6.

De Studiis Juris Canonici & Civilis in Curia Romana, & ſtudentium privilegiis. *c. Cum de diverſis de privil. in* 6.

De ſententia Excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti in ſcriptis profe-

renda, adjecta etiam causa. *c. 1. de sent. excomm. in 6.*

De absolutione à censuris Ecclesiasticis ad cautelam. *c. 2. de sent. excomm. in 6.*

De participantibus cum excommunicatis, quod ante monitionem præmissam non sint excommunicandi. *c. statuimus de sent. excomm. in 6.*

Episcopi pœnam sive sententiam interdicti vel suspensionis non incurrunt nisi in sententia sint expressi. *c. Quia periculum de sent. excomm. in 6.*

Archi-Episcopus sententias latas ab Officialibus Suffraganeorum regulariter non relaxat. *c. Romana de sentent. excomm. in 6.*

Archi-Episcopi sententia generalis ligat tantum subditos. *c. Romana Eccles. de sent. excomm. in 6.*

Sententia excommunicationis sine competenti præmonitione est injusta. *c. Romana, de sent. excomm. in 6.*

Pro futuris delictis non est ferenda sent. Excommunicationis nisi justa causa subsit. *Eodem in 6.*

In Universitatem proferri non debet sententia Excommunicat. *Eodem in 6.*

Prælatus contra potestatem sæcularem gladio spirituali sive censura Ecclesiastica se tueri potest. *c. Dilecto de sent. excomm. in 6.*

LU-

LUGDUNENSE II.

27. Decimum quartum Concilium generale fuit Lugdunense secundum Lugduni in Gallia convocatum à Gregorio X. A. 1274. cui ipse Pontifex præsedit, & interfuerunt Episcopi circiter 500, quos inter Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus & S. Bonaventura Episcopus Abbanensis (qui nondum soluto Concilio mortuus est) præter Abbates & Magistros Ordinum Hospitalis Jerosolymitani & militum Templi, & Principum Oratores, inter quos fuere missi ab Imp. Palæologo cum literis unionem & obedientiam profitentibus. Non vero interfuit ipse Imperator ut patet ex actis Concilii, quæ inscribuntur: *Brevis nota* & literis ab eo missis, responsisque à Pontifice datis. Interfuit vero Jacobus Aragoniæ Rex qui juxta summum Pontificem seorsim ab aliis omnibus consedit. In eo Concilio, quod confirmatum est à Pontifice, præcipuè actum de Ecclesia Orientali reducenda ad unitatem cum Romana; De electione Summi Pontificis à solis Cardinalibus in Conclavi facienda; & de processione Spiritus sancti à Patre Filioque.

28. Canones in hoc Concilio editi

ſtatuunt 1. De proceſſione Spiritus ſancti æternaliter ex Patre & Filio tanquam ex uno principio.

Can. 2. De Electione Summi Pontificis. *c. Ubi periculum de Elect. in 6.*

Can. 3. De Electione & Poſtulatione Prælatorum, & de oppoſitionibus adverſus eas factis juridicè dirimendis. *Ibid.*

Can. 4. Ne Electus ad Prælaturam ante confirmationem adminiſtret *c. Avaritiæ de elect. in 6.*

Can. 5. De conſenſu Electi intra menſem præſtando. *c. Quamſit Eccleſiis, de Elect. in 6.*

Can. 6. Eligentes indignum non privandi eligendi poteſtate, licet contra conſcientias agant.

Can. 7. Ne quis propriam electionem impugnet niſi propter vitium vel defectum tempore electionis ignoratum. *c. Nulli licere, de Elect. in 6.*

Can. 8. Si pars una eligentium ſit duplo major numero ei ſe pars altera opponere non debet niſi votum alicujus nullum ſit ipſo jure.

Can. 9. De appellatione ad Sedem Apoſtolicam in cauſis Electionum Epiſcopalium.

Can. 11. Qui impediunt electiones Clericorum excommunicantur.

Can. 12. Volentes de novo Regalia, custodiam advocationis vel defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis aliisque piis locis usurpare excommunicantur.

Can. 13. Nullus ad regimen Ecclesiæ Parochialis assumatur nisi idoneus scientia, moribus & ætate. *c. Cum in cunctis de Elect.*

Can. 14. Ne commendetur Ecclesia Parochialis ultra semestre *c. Nemo deinceps, de Elect. in 6.*

Can. 15. De Ordinatione.

Can. 16. De Bigamis.

Can. 17. De Officio Judicis ordinarii.

Can. 18. De incompatibilitate beneficiorum. *c. Ordinarii locorum de Offic. Ord. in 6.*

Can. 19. De Advocationis officio in foro Ecclesiastico, & Procurationis fideliter gerendo præstito juramento.

Can. 20. De iis, quæ vi metusvè causa fiunt.

Can. 21. De dignitatibus & Beneficiis in curia Romana vacantibus à solo Rom. Pontifice conferendis. *c. Statutum de Præb. in 6.*

Can. 22. De rebus Ecclesiæ non alienandis nisi servatis solennitatibus à jure requisitis. *c. Hoc consultissimo, de reb. Eccl. non alien. in 6.*

can.

Can. 23. Ne quis novum Ordinem aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Religionis assumat. *c. Religionum, de relig. dom. in* 6.

Can 24. De Procuratione seu visitatione Ecclesiarum & quomodo Prælati in ea se gerere debeant. *c. Exigit. De Cens. in* 6.

Can. 25. Qua devotione & reverentia fideles sacris interesse debeant mysteriis in Ecclesia. *c Decet domum Domini de immunit. Eccles. in* 6.

Can. 26. Contra usurarios manifestos statuitur pœna. *c.* 1. *De usurar. in* 6.

Can. 27. Usurarii manifesti sepultura Ecclesiastica priventur, nec ullus eorum testamentis intersit, nisi de usuris satisfecerint.

Can. 28. De injuriis & damno dato.

Can. 29. Qualem censuram incurrant participantes cum excommunicatis ante vel post monitionem Canonicam. *c. Constitutionem de sent. Excomm. in* 6.

Can. 30. De relaxatione ad cautelam interdicti Ecclesiastici in civitates, aliasve Universitates. *c. Præsenti de sent. Excomm. in* 6.

VIENNENSE.

29. Decimum quintum Concilium generale fuit convocatum à Clemente V. anno

anno 1311. Viennæ Allobrogum ad flumen Rhodanum in Gallia. Interfuere Episcopi trecenti & amplius Præsidente ipso Summo Pontifice. In eo Templariorum Ordo suppressus & extinctus ob hæresin, apostasiam aliaque atrocissima flagitia ab ipsis patrata. Similiter impiæ Begardorum & Beguinarum Sectæ, nec non Fraticellorum seu Dulciniſtarum (sic dictorum à Dulcino quodam Novariensi, quem sex millia hominum secuta sunt) damnatæ fuerunt; Et expeditio pro recuperanda Terra sancta suspicienda est decreta. Ab hac Synodo Constitutiones Clementinæ dictæ juri Canonico insertæ ortum habent.

30. Definita sunt in hoc Concilio. 1. Quod resignatio facta per Procuratorem valeat non obstante revocatione mandati non significata. *Clem. unic. de renunciat.*

2. In impetratione novi Beneficii aliorum mentio fieri debet, quæ impetrans possidet. *Clem. Et si, de Offic. Ordin.*

3. Ut Episcopi Prælatorum Regularium negligentiam in conferendis beneficiis ab ipsis dependentibus suppleant. *Clem. 1. de suppel. negl. Præl.*

4. Ut Episcopi Clericos subditos delinquentes diligenter corrigant.

5. Ut Episcopi à suis sedibus expulsi pos-

poſſint procedere contra expulſores in aliena Diœceſi, petita à Diœceſano licentia, licet non obtenta. *Clem. cap. uni. de foro cdmpet.*

6. De proviſione beneficii à Pontifice facta motu proprio ei, qui jam alia poſſidet beneficia. *Clem. c. Si Romanus de Præbend.*

7. De Sepultura in Eccleſiis Prædicatorum vel Minorum, & de quarta funerali. *Clem. c. Dudum à Bonifacio, de Sepultura.*

8. De Patronis & jure Patronatus, & quomodo in eo ſuccedatur. *Clem. c. Plures, de jure Patron.*

9. De Matrimonio in gradu prohibito, vel cum Moniali contracto. *Clem. c. 1. de conſang. & affin.*

10. De Scholis Romanæ curiæ & aliis *Clem. c. 1. de Magiſtris.*

11. Ne Religioſi Sacramentum extremæ Unctionis vel Euchariſtiæ adminiſtrent ſine Parochi licentia, vel Benedictionem nuptialem impertiant, vel excommunicatos à Canone abſolvant, præterquam in caſibus à jure, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis eisdem. *Clem. c. 1. de privil. & exceſſibus.*

12. Ut Archi-Epiſcopus Provinciam ſuam peragrans crucem ante ſe portari faciat &c. *Clem. c. 2. Eod.* 13. Re-

14. Religiosi etiam exempti violantes interdictum Ecclesiasticum sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt. *Clem. c. 1. & 2. de sent. Excomm.*

15. Ne Episcopi aliive Prælati subditos vel exemptos injuriis & gravaminibus lacessant. *Clem. de excess. Præl.*

16. De privilegiis Regularium. *Clem. Dudum, de Sepult. & Clem. 1. de Privil. & excess.*

17. S. Francisci Regulæ variæ difficultates & ambiguitates explicantur ac definiuntur. *Clem. c. Exivi de Paradiso De verb. signif.*

FLORENTINUM.

31. Decimum sextum generale Concilium fuit Florentinum A. 1438. rogatu Palæologi Græcorum Imp. convocatum ab Eugenio IV. & Ferrariæ inchoatum, primaque ejus Sessio fuit habita quarta Idus Januarii Præsidente Legato à Latere Eugenii Nicolao Albergato ex Ordine Carthusiano Cardinali Presbytero, & primo decreto declarata sunt irrita omnia acta Basileensia post Eugenii revocationem. Secundæ Sessioni, quæ celebrata est decimo quinto Februarii, præsedit ipse Pontifex præsentibus septuaginta duobus Episcopis.

Ordo

Ordo in Sessionibus post adventum Græcorum Imperatoris Joannis Palæologi cum fratre suo Demetrio Principe Peloponesi, hic servatus est: Super erecto solio ante Altare collocatus est liber Evangeliorum intra sacra capita Beatorum Apostolorum Petri & Pauli accensis hinc inde cereis. Pontifex cum Episcopis Latinis dexteram partem, alteram Imperator cum suis Græcis tenebat. Infra solium Pontificium uno fere passu locata est Imperatoris Latini Alberti secundi Sedes, sed ob absentiam semper vacua remansit. E regione Pontificis & Sedis Imperatoris Latini Sedes Imperatoris Græcorum, & paulo inferius Josephi Patriarchæ Constantinopolitani ejusdem eminentiæ & ornatus cum Pontifice fuit. Demetrio Imperatoris fratri à dextris ejus Sedes collocata est, sed humilior, & quatuor fere palmos remota. Interfuere Concilio octo, vel ut alii novem Cardinales, & præter Abbates, centum circiter quinquaginta Episcopi Latini. Græci quoque in magno numero adfuere, inter quos Bassarion Episcopus Nicænus, Isidorus Thessalonicensis Archi-Episcopus; Ac præterea Isidorus Kiovensis totiusque Russiæ Metropolita. Metropolites quoque Iberiæ, ac nonnul-

li Prælati Russiæ & Moscoviæ. In Sessione tertia 14. Octob. celebrata & quatuor subsequentibus Sessionibus disputatum est de additione ad Symbolum Constantinopolitanum hujus vocis: *Filioque* circa Spiritus sancti processionem. In sexta decima Sessione fit Decretum de Synodo ob pestem Ferrariæ ingravescentem Florentiam transferenda.

23. Igitur Ferraria, habitis ibi Sessionibus sedecim, transfertur Concilium Florentiam primariam Thusciæ Civitatem A. 1439. ad quam cum mense Januario deveniissent, celebrata est ibidem Sessio decima septima 26. Februarii, ac subinde octo circiter Sessiones habitæ; In quibus primò in sex Sessionibus disputatum est de Processione Spiritus sancti, num sit à solo Patre, an etiam à Filio. Tandem hortatu Patriarchæ Josephi Constantinopolitani, qui tunc decumbebat extrema ægritudine, qua sanctissimè decessit, Imperator cæterique Prælati Græci, excepto solo Marco Episcopo Ephesino, veritatem agnoverunt & professi sunt. Deinde actum est de pœnis Purgatorii, de quibus omnes convenerunt actaque Concilii obsignarunt. Sed paulo post reversi in Patriam Græci, supranominato Ephesino omnia turbante

bante ad vomitum redierunt. Demum acceſſerunt quoque Armeni ad Catholicam fidem, & unitatem Eccleſiæ Romanæ, ac decretum hac ſuper re formatum, antequam Florentia diſcederent, promulgatum eſt. Tum vero translatum eſt Concilium Romam, ubi duravit ſaltem uſque ad annum 1445. ut patet ex actis Florentinæ Synodi editis per Horatium Juſtinianum Oratoriſtam poſtea Cardinalem, ut refert Pallavicinus in hiſtoria Concilii Tridentini. *l.* 6. *c.* 11.

LATERANENSE V.

33. Decimum ſeptimum Generale & Lateranenſe quintum indictum fuit A. 1512. à Julio II. Maximiliano Imp. ad convellendum Conciliabulum Piſanum, & Schiſma impediendum. Præſedit ipſe Pontifex Concilio, quod auſpicatus eſt quarto Nonas Maij feſto Inventionis S. Crucis præſentibus Cardinalibus quindecim, Patriarchis Alexandrino & Antiocheno Archi-Epiſcopis & Epiſcopis ſeptuaginta ſeptem. Sed ſuperveniente febri poſt quartam Seſſionem (ex qua etiam nono Calendas Martii A. 1513 obiit) deinceps Julius intereſſe non potuit, ejusque loco præſedit Cardinalis Raphël Riarius Epiſcopus Oſtienſis. Seſſio veto ſex-

ta

ta habita Præside Leone V. Pontifice Succeſſore Julii 1513. 27. Aprilis, ſub quo poſt habitas ſex Seſſiones finita eſt A. 1517. menſe Martio, & Synodus à Leone confirmata.

34. In Concilio hoc duodecim celebratæ ſunt Seſſiones. In prima ordinantur præliminaria, & creantur Officiales.

Seſſ. 2. Damnantur acta Conciliabuli Piſani.

Seſſ. 3. Pœnæ decernuntur & infliguntur Cardinalibus aliisque fautoribus Conciliabuli Piſani.

Seſſ. 4. Pragmatica Sanctio, quæque ejusdem cauſa Conciliabulum egerat, abrogantur.

Seſſ. 5. Julii per ægritudinem abſentis Conſtitutio de Creatione Romani Pontificis legitur prohibens omnem in ea Simoniam ſub pœna nullitatis.

Seſſ. 6. Diverſi deſignantur Prælati, quibus varia munera demandantur.

Seſſ. 7. Duo Cardinales Schiſmatici auctores Conciliabuli Piſani veniam petentes, & Schiſma adjurantes reconciliantur.

Sect. 8. Definitum eſt unicam eſſe hominis animam eamque immortalem. Dum hæc Seſſio celebraretur, adfuerunt à Ludovico Galliæ Rege Legati ejusque

nomine

nomine Pisanum Concilium execrati Lateranensi tanquam vero, indubitato & Oecumenico Concilio adhæserunt.

Sess. 9. Bullæ reformationis Romanæ Curiæ leguntur, & renovantur Canonis Concilii tertii Lateranensis. De Cardinalibus specialis sanctio Concilii traditur.

Sess. 10. Edita est Constitutio declarans Montes pietatis erectos ad sublevandos inopes non esse usurarios, sed justos & licitos.

Sess. 11. Præscribitur Lex Concionatoribus servanda in prædicatione verbi DEI. Item Concordata inter Leonem Pontificem & Franciscum I. Galliæ Regem leguntur & approbantur.

Sess. 12. Excommunicantur, qui ædes Cardinalium invadunt tempore electionis novi Pontificis. Et absolutum est Concilium confirmatumque à Leone X.

TRIDENTINUM.

35. Decimum octavum Concilium generale fuit Tridentinum indictum à Paulo III. die undecimo Calendas Junii Anno Christi 1542. Pontificatus sui octavo, & sub tribus Summis Pontificibus Paulo eodem III. Julio III. & Pio IV. contra emergentes Lutheri aliorumque hæreses, & pro

& pro morum reformatione Summo Ecclesiæ bono legitime congregatum fuit. Complectitur namque plurimas easque saluberrimas Constitutiones tum fidem tum mores concernentes; Quæ cum approbatæ sint à supremo Principe Christi Vicario in terris, atque etiam factæ sint in præsentia, & cum consensu Principum sæcularium, quorum Oratores cum speciali mandato missi Concilio interfuerunt, dubitari nequit, quin constituant Jus generale & commune, quod omnes obliget, cumque omnia exemplaria Concilii ubilibet impressa concordent, non est fides illis deroganda. Licet vero decreta hujus Concilii fidem non concernentia ubique non sint recepta (quam bene inquiritur in Titulis de Constit. & consuet.) Regulares tamen habitantes in illis locis in quibus prætenditur non receptum esse hoc Concilium adstringuntur ad leges illius observandas, quia omnium Regularium Ordines sacro-sanctum hoc Concilium receperunt. Ita Passerinus *de stat. & off. hom. q.* 187. *a.* 1. *n.* 213. contra Virginium Alviset *in tract. de privilegiis sect.* 3. *c.* 5. §. 1. *n.* 11.

Concilium hoc in viginti quinque Sessiones distributum est, in quibus tres ordines. Primò ponitur doctrina per sua

capita distributa; Deinde Canones seu Decreta pro illa doctrina ordine digesta; Demum stabilitur reformatio disciplinæ Ecclesiasticæ. In Sessione 24 post Canones doctrinales subjungitur duplex ordo Reformationis, primò Reformatio Matrimonii, deinde Reformatio Ecclesiastica. In allegationibus citatur hæc nomine Reformationis absolutè, ista cum addito *Matrimonii*. Similiter in Sess. 25. decreta sub nomine illius citantur; Reformatio vero cum duplex sit, nimirum Reformatio Regularium & Reformatio absoluta, sic quoque alligari solent.

Prima Sessio biennio post indictionem celebrata die decima tertia Decembris A. 1545. indictione tertia Præsidentibus Joanne Maria de Monte, Marcello Cervino, & Reginaldo Polo S. R. E. Cardinalibus. In hac nomina Prælatorum, qui adfuerunt, censita sunt, lectaque ad eos admonitio Legatorum Apostolicorum; Ac subinde decretum est sacrum & generale Concilium incipere & inceptum esse.

Sess. 2. A. 1546. 7. Januarii edita sunt Concilii præliminaria.

Sess. 3. Die 4. Febr. propositum confirmatumque est fidei symbolum.

Sess. 4. Octavo Aprilis promulgatum est decre-

decretum de Canonicis ſcripturis, & aliud de ſcriptione & uſu ſacrorum librorũ.

Seſſ. 5. Decima ſeptima Junii editum eſt Decretum de peccato originali, & duo capita de Reformatione; Primum de Lectoribus ſacræ Scripturæ, ſecundum de Concionatoribus & Quæſtoribus Eleemoſynariis.

Seſſ. 6. Die decima tertia Januarii A. 1547. Decreta & Canones de Juſtificatione formati. Item Decreta de reformatione; *Cap.* I. De Reſidentia Epiſcoporum. *Cap.* 2. De Reſidentia obtinentium beneficia, quæ requirunt Reſidentiam. *Cap.* 3. Ut exceſſus Clericorum & Regularium agentium extra Monaſteria corrigantur ab Ordinario. *Cap.* 4. Capitula Cathedralium viſitet Epiſcopus quoties voluerit. *Cap.* 5. Pontificalia aut Ordinatio in aliena Diœceſi non fiant.

Seſſ. 7. Die tertia Martii edita ſunt Decreta de Sacramentis in genere, & ſpecialiter de Baptismo & Confirmatione. In Decretis de Reformatione ſtatuitur *Cap.* 1. Quis capax regiminis Eccleſiarum Cathedralium. *Cap.* 2. Prohibetur pluralitas beneficiorum in Cathedralibus Eccleſiis. *Cap.* 3. Habilibus conferantur beneficia. *Cap.* 4. Plurium beneficio-

rum incompatibilium Retentor iis careat. *Cap.* 5. Qui plura obtinent Beneficia exhibeant dispensationes. *Cap.* 6. Quæ beneficiorum uniones validæ, quæ irritæ. *Cap.* 7. Beneficia unita visitentur. Per Vicarios etiam perpetuos cura exerceatur. *Cap.* 8. Ecclesiæ reparentur. *Cap.* 9. Episcopi infra tempus statutum consecrentur. *Cap* 10. Capitula Sede vacante non dent dimissorias. *Cap.* 11. Facultates de promovendo à quocunque continere debent causas. *Cap.* 12. Facultates de non promovendo concessæ ad annum tantum suffragentur. *Cap.* 13. Præsentati non instituantur nisi prævio examine. *Cap.* 14. Causæ civiles exemptorum Clericorum sæcularium & regularium degentium extra Monasterium videantur ab Episcopis. *Cap.* 15. Curent Ordinarii, ut hospitalia fideliter gubernentur.

Sess. 8. Die undecima Martii de transferendo propter ingruentem pestem Concilio actum.

36. Concilium translatum fuit Bononiam, ubi duæ Sessiones factæ sunt; Nona die 21. April. & Decima die 2. Jun. de prorogatione Concilii.

Sess.

Sess. 11. Decimo octavo Cal. Decemb. A. 1550, quæ fuit prima sub Julio III. promulgatur edictum resumptionis Consilii in civitate Tridentina præsidentibus Legatis Marcello Cardinali, Sebastiano Pichio Archi-Episcopo Sepontino, & Aloysio Lipomano Episcopo Veronensi.

Sess. 12. Die 1. Sept. A. 1551. decreta est prorogatio.

Sess. 13. Die 11. Octob. actum est de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & Canones de eo confecti. In decreto de Reformatione. *Cap.* I. Datur forma, qua Episcopi debent residere. Ab eorum Visitatione nemo appellet. *Cap.* 2. Si appelletur ab Episcopo, cui causa committenda sit. *Cap.* 3. Acta primæ instantiæ intra triginta dies dentur gratis appellanti. *Cap.* 4. Abbates assistere possunt Episcopo deponenti, & degradanti Clericum, si Episcopi desint. *Cap.* 5. Gratiæ ob fictas causas concessæ revocentur. *Cap.* 6. Episcopus non citetur personaliter nisi ob causam depositionis. *Cap.* 7. Qualitates testium contra Episcopum. *Cap.* 8. Causæ Episcoporum, cum comparere debent, terminentur per Pontificem.

Sess. 14. Die 25. Novemb. actum est de Sacramentis Pœnitentiæ & extremæ Unctionis. *Cap.* 1. de Reformatione Clericos male se gerentes puniendos esse. *Cap.* 2. Ne Episcopus alienum subditum ordinet. *Cap.* 3. Episcopus male ab alio promotos sine examine non admittat ad Officia celebranda. *Cap.* 4. Clericus non est exemptus à correctione Episcopi. *Cap.* 5. Conservatorum potestas restringitur. *Cap.* 6. De decenti habitu Clericorum. *Cap.* 7. Voluntarius homicida ordine ac beneficio careat, cum casuali, aut vim vi repellente dispensetur. *Cap.* 8. Ne Episcopus puniat Clericos alienos. *Cap.* 9. Ne beneficia unius Diœcesis uniantur Beneficiis alterius Diœcesis. *Cap.* 10. Beneficia regularia conferantur Regularibus. *Cap.* 11. Professi maneant sub Obedientia, & sint incapaces beneficiorum sæcularium. *Cap.* 12. Jus patronatus obtineat, qui dotat ex suis, aut Capellam de novo fundat. *Cap.* 13. Beneficiandus præsentetur Ordinario.

Sess. 15. Vigesima quinta Jan. A. 1552. decreta est prorogatio Synodi.

Sess. 16. Die 28. April. decreta est ejusdem suspensio bellorum insurgentium occasione.

36. Concilium interrupit mors Julii III. Cujus loco electus est Marcellus II, qui etiam vigesimo secundo die Pontificatus obiit. Ei successit Paulus IV, quo sedente nihil actum est in Concilio, & exacto in Pontificatu quadriennio vita functus est. Huic surrogatur Pius IV. sub quo Concilium suspensum & dilatum resumitur hortante S. Carolo Boromæo.

Sub Pio IV. ergo celebrata Sessio decima septima 18. Jan. A. 1562. in qua emanavit Decretum de celebrando Concilio, & indictio futuræ Sessionis.

Sess. 18. Die 26. Februar. in qua decretum de librorum delectu, & de omnibus ad Concilium publica fide invitandis cum salvo conductu concesso Germanicæ Nationi, & ejus extensione ad alias Nationes.

In Sess. 19. Die 14. Maij decreta est Synodi sacræ prorogatio.

Sess. 20. Die 4. Junii decreta iterum prorogatio.

Sess. 21. Die 16. Julii Decreta & Canones de Communione sub utraque specie & parvulorum. De Reformatione. *Cap.* 1. Ut Ordines gratis conferantur. *Cap.* 2. De Titulo Clericali initiandorum sacris Ordinibus. *Cap.* 3. Tertia pars pro-

proventuum convertenda in distributiones quotidianas. *Cap.* 4. De Vicariis necessariis à Parochis assumendis & congrua portione illis assignanda. *Cap.* 5. De unionibus Ecclesiarum. *Cap.* 6. Si Beneficiati sint imperiti, aut turpiter vivant, quomodo providendum. *Cap.* 7. De reparandis Ecclesiis collapsis. *Cap.* 8. Ordinarius curet in Diœcesi quæcunque ad DEI cultum spectant. *Cap.* 9. Quæstores eleemosynarum abrogantur; Indulgentiæ publicandæ ab Ordinariis.

Sess. 22. Die 17. Sept. excussa est doctrina de sacrificio Missæ, & de eo formati Canones. Decretum de observandis & evitandis in celebratione Missæ. *De Reformatione* Cap. I. Ut Clerici honeste graviterque vivant. Cap. 2. Quales assumendi ad Ecclesias Cathedrales. Cap. 3. Distributiones quotidianæ creandæ ex tertia parte fructuum. Cap. 4. Qui habeant vocem in Capitulo. Item de ætate, qualitate & Ordine præficiendorum. Cap. 5. Dispensationes extra curiam committantur Ordinariis. Cap. 6. Circumspectè commutandæ ultimæ voluntates. Cap. 7. In appellationibus &c. servetur tenor *c. Romani in 6.* Cap. 8. Episcopi

copi pleniſſimè videant omnes pias diſpoſitiones. *Cap.* 9. Adminiſtratores cuivis fabricæ & quorumcunque piorum locorum dent rationem ordinariis. *Cap.* 10. Notariorum ſufficientiam ſcrutentur Ordinarii. *Cap.* 11. Excommunicantur occupatores obventionum piis locis applicandorum. Demum ſubjungitur Decretum ſuper petitione conceſſionis Calicis.

38. Seſſ. 23. Die 16. Julii A. 1563. celebrata, tradita eſt doctrina Catholica & Canones publicati de Sacramento Ordinis. Circa reformationem decreta ſunt. *Cap.* 1. Reſidentia Epiſcoporum. *Cap.* 2. Conſecratio Epiſcoporum ultra tres menſes non differenda. *Cap.* 3. Ut Epiſcopi per ſemetipſos Ordines conferant. *Cap.* 4 Ne quis ad Clerum promoveatur niſi Confirmationis Sacramentum prius ſuſceperit. *Can.* 5. Ut de Ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita diligenter inquiratur. *Cap.* 6. Ante decimum quartum annum nullum eſſe Beneficii capacem. *Cap.* 7. Ut examen inſtituatur de ordinandorum natalibus, ætate, inſtitutione, moribus, doctrina & fide. *Cap.* 8. Ordinatio à proprio Epiſcopo

copo facienda, nisi ordinandus literas habeat dimissorias. *Cap.* 9. Episcopus familiarem ordinans conferat ei beneficiũ. *Cap.* 10. Abbates & Capitula Ecclesiarum Cathedralium non dent nec Sede vacante literas dimissorias. *Cap.* 11. Minoribus ordinandi servent interstitia. *Cap.* 12. Ætas ordinandorum servanda etiam Regularibus: *Cap.* 13. Quid Subdiaconis & Diaconis observandum. Duo sacri Ordines eidem non conferantur eodem die, nec Regularibus. *Cap.* 14. Ordinandi Presbyteri annum egerint in exercitio Diaconali; Sint castis moribus, & ordinati frequenter Missam celebrent. *Cap.* 15. Episcopi approbatio necessaria est Presbyteris, ut possint absolvere à peccatis. *Cap.* 16. Ut non omnes promiscuè ordinentut. Nec peregrinus sine literis commendatiis celebret. *Cap.* 17. Exercitia minorum Ordinum restituantur. *Cap.* 18. Datur forma erigendi Seminarium Clericorum.

39. Sess. 24. Celebrata Die 11. Nov. A. 1563. Tradita est doctrina & Canones de Sacramento Matrimonii. *Cap.* 1. Habetur decretum de Reformatione Matrimonii. *Cap.* 2. Inter quas personas contra-

trahatur cognatio Spiritualis orta ex Baptismo & Confirmatione. *Cap.* 3. De impedimento publicæ honestatis. *Cap.* 4. De impedimento affinitatis ex illicito congressu. *Cap.* 5. De pœnis contrahentium inter gradus prohibitos, & de dispensatione Pontificis circa impedimenta Matrimonii. *Cap.* 6. De impedimento Raptus. *Cap.* 7. De matrimonio vagorum hominum. *Cap.* 8. Concubinarii si ter moniti non resipiscant, excommunicentur. Concubinæ exilio & aliis pœnis puniuntur. *Cap.* 9. Domini & Magistratus cogentes subditos ad Matrimonium cum certis personis contrahendum, excommunicantur. *Cap.* 10. Quibus temporibus celebrare nuptias prohibeatur.

Ejusdem Sess. 24. *Cap.* 1. *De Reformatione sacræ disciplinæ.* Norma in creatione Episcoporum, & electione Cardinalium servanda. *Cap.* 2. Ut singulis trienniis Concilia provincialia, & quotannis Diœcesana celebrentur *Cap.* 3. Ut singulis annis Episcopus Diœcesin visitet. *Cap.* 4. Ecclesia Parochialis à Parochianis adeunda. Nullus contradicente Episcopo prædicet. *Cap.* 5. Causæ cri-

criminales majores contra Episcopos cognoscuntur à Summo Pontifice; Minores criminales à Concilio Provinciali. *Cap.* 6. De facultate Episcopis concessa dispensandi in irregularitatibus & suspensionibus certis. *Cap.* 7. Vis Sacramentorum, & Missæ mysterium explicetur populo. *Cap.* 8. De publicè & scandalosè peccantibus. *Cap.* 9. Episcopus potest visitare Ecclesias exemptas & nullius Diœcesis. *Cap.* 10. Subditi non possunt suspendere executionem visitationis. *Cap.* 11. Episcopi jure suo uti possunt honorariis titulis & privilegiis particularibus non obstantibus. *Cap.* 12. Qualitas prensantium dignitates cum cura animarum. De Residentia & distributionibus, & ut Canonici Episcopo celebranti inserviant. *Cap.* 13. cathedrales tenues vel uniendæ vel augendæ, uti & augendæ tenues Parochiales. Parochiani frequentẽt parochias suas. *Cap.* 14. Ut omnes exactiones Simoniacæ aboleantur. *Cap.* 15. De unione tenuium præbendarum. *Cap.* 16. Capitulum Sede vacante constituat Oeconomum, Officialem seu Vicarium aliosque necessarios Administratores. *Cap.* 17. Pluralitas beneficiorum incompati-

patibilium prohibetur. *Cap.* 18. Ut beneficiis animarum curam habentibus per concursum provideatur, & digniores præferantur. *Cap.* 19. Gratiæ expectativæ revocantur. *Cap.* 20. Causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes coram Ordinariis cognoscantur. Causas matrimoniales & criminales solus Episcopus cognoscat. De expensis Actorum & mercede Notarii.

40. Sess. 25. Cœpta Die 3. absoluta die 4. Decemb. A. 1563. Die tertia, decreta facta sunt de Purgatorio, de invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum, & de sacris imaginibus.

Circa reformationem Regularium & Monialium præcipitur. *Cap.* 1. Ut secundum rigorem Regulæ indispensabiliter vivant Regulares. *Cap.* 2. Proprietatis vitium è Monasteriis eliminetur. *Cap.* 3. Paupertas rigidior relaxatur, præterquam Minorum de observantia & Capuccinorum. *Cap.* 4. Ne quis regularis sine sui Superioris licentia obsequio alicujus Prælati vel Principis se subjiciat, aut à Conventu recedat. *Cap.* 5. Ut Clausuræ Monialium Episcopi curam gerant. *Cap.* 6. Superiores sæculares eligantur suffra-

ſuffragiis ſecretis ; Abſentium vota non ſuppleantur. *Cap.* 7. Quadragenaria, aut ſaltem trigenaria eligatur in Abbatiſſam aut Prioriſſam, quæ unitantum præſit Monaſterio. *Cap.* 8. Monaſteria non habentia ordinarios Viſitatores, nec ſubdita Epiſcopis ſingulis trienniis in Congregatione conveniant. *Cap.* 9. Monaſteria Monialium immediate ſubjecta Pontifici, viſitentur ab Epiſcopis, cætera à Deputatis à Capitulis generalibus. *Cap.* 10. Moniales ſingulis ſaltem menſibus confiteantur & communicent. Bis vel ter in anno dari illis poteſt ab Epiſcopo Confeſſarius extraordinarius. *Cap.* 11. Parochi regulares in his quæ pertinent ad curam & Sacramentorum Adminiſtrationem ſæcularibus, ſubjacent juriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi. *Cap.* 12. Cenſuræ Epiſcopales, & dies feſti ſerventur à Regularibus. *Cap.* 13. Controverſiæ de præcedentia ab Epiſcopo omni appellatione remota componantur. Exempti accedant ad ſupplicationes publicas. *Cap.* 14. Regularis non ſubditus Epiſcopo ſcandalosè vivens puniatur à Superiore, vel eo negligente ab Epiſcopo. *Cap.* 15. Ne fiat Profeſſio ante annum

num decimum sextum expletum. *Cap.* 16. Omnis donatio inter vivos, vel renuntiatio Novitiorum ante duosultimos menses Novitiatus exacti nulla est & invalida. *Cap.* 17. Ne Virgines suscipiant habitum regularem ante annum duodecimum. *Cap.* 18. Ne puellæ cogantur ad profitendum Religionem. *Cap.* 19. De reclamatione invalida Professi intra quinquennium. *Cap.* 20. Abbates aliique Ordinum Superiores exempti Monasteria sua visitent, & jurisdictionem exerceant. *Cap.* 21. Monasteria collapsa restituantur, quibus non nisi Regulares præficiantur. *Cap.* 22. Superiora decreta omnino observentur.

41. In eadem Sess. 25. subjiciuntur Decreta 21. *de Reformatione.* *Cap.* 1. De officio Prælatorum. *Cap.* 2. Professio fidei à quibus emittenda. *Cap.* 3. Excommunicationis gladius non temere stringendus. *Cap.* 4. Qua ratione magnus Missarum celebrandarum numerus reduci possit à Prælatis. *Cap.* 6. Quæ observanda Episcopo in visitatione Capitulorum exemptorum. *Cap.* 7. Accessus vel regressus ad Beneficia prohibitus. Coadjutor quando concedendus. *Cap.* 8.

Bene-

Beneficiati sint hospitales. Hospitalia quomodo regenda. *Cap.* 9. De jure Patronatus probando & deferendo. *Cap.* 10. Causæ Ecclesiasticæ spirituales coram quibus tractandæ; Breviter terminandæ sunt. *Cap.* 11. Ne ultra quinquennium locationes rerum Ecclesiæ, & solutiones anticipatæ fiant. *Cap.* 12. Decimæ solvendæ. *Cap.* 13. Quarta funeralium solvenda, ubi usus. *Cap.* 14. Ne Clerici concubinas habeant. *Cap.* 15. Ne filii Clericorum illegitimi beneficium habeant aut ministrent in Ecclesiis, ubi Patres beneficium obtinent. *Cap.* 16. De congrua portione Vicario perpetuo beneficii curati assignanda. *Cap.* 17. Episcopi sint Patres & Pastores, nec indignè se demittant. *Cap.* 18. Canones exactè ab omnibus servandi. *Cap.* 19. Duella sub gravissimis pœnis prohibentur. *Cap.* 20. Ut omnes sanctiones in favorem personarum Ecclesiasticarum, immunitatum & libertatis Ecclesiæ serventur. *Cap.* 21. In his omnibus decretis de reformatione & Ecclesiastica disciplina reservata censetur auctoritas Sedis Apostolicæ.

In prosecutione Sessionis die sequenti 4. Dec. decretum fuit de Indulgentiis, de cibo-

ciborum delectu, jejuniis & diebus festis; De indice librorum, Catechismo, Breviario & Missali. De loco Oratorum. De recipiendis & observandis decretis Concilii, deque recitandis iisdem decretis in Concilio. Demum de petenda sacra universalis Synodi à Pontifice confirmatione, quam concessit Pius IV. Anno 1564. 26. Januar. In fine Concilii subscripsêre decretis Patres numero 255, videlicet Legati 4, Cardinales 2, Patriarchæ 3, Archi-Episcopi 25, Episcopi 168, Abbates 7. Procuratores absentium cum legitimo mandato 39. Generales Ordinum 7. qui præsentes fuerunt cum Concilium concluderetur. Cæterum longe plures diversis temporibus illi interfuerunt; Nam præter Cardinales nimirum Joannem Mariam de Monte, Marcellum Cervinum, Reginaldum Polum, Herculem Gonzagam, Hieronymum Seripandum, Joannem Moronum, Stanislaum Hosium, Ludovicum Simonettam, Marcum Syricum de Altaemps Bernardum Navagerium, Marcellum Crescentium Sebastianum Pighinum Archi-Epis. Sipontinum & Aloysium Lipomanum Veronensem Episcopum, qui diversis vicibus nomine Pontificum Concilio præsederunt, duosque alios Car-

dinales non Legatos Carolum à Lotharingia Archi-Episcopum Rhemensem & Ludovicum Madrutium Episcopum Tridentinum, numerantur 3. Patriachæ. 33. Archi-Episcopi. 235. Episcopi. 7. Abbates. 7. Generales Ordinum & plusquam 146. Theologi. Præterea Oratores & Legati Imp. Ferdinandi, Regis Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Bohæmiæ, Poloniæ, Reip. Venetæ, Septem Cantonum Helvetiorum, Bavariæ, Sabaudiæ, Florentiæ, aliorumque Principum Ecclesiasticorum.

CAPUT XV.

An Concilium sit supra Papam.

Proponitur status quæstionis. Papa est supra Concilium, quia est Christi Vicarius; Successor S. Petri; Caput Ecclesiæ; Pastor ovilis Christi. Episcopus Ecclesiæ universalis. Pater omnium Christianorum. Convocat Concilia. Est Judex Conciliorum. Corrigit & improbat Concilia. Confirmat Concilia. Datur appellatio à Concilio ad Papam. Non datur appellatio à Papa ad Concilium. Hunc primatum Papæ ipsamet Concilia agnoscunt. Casus excepti, in quibus Concilium est supra Papam.

I.

1.

QUæstio est de Concilio Oecumenico, Concilia enim particularia, ut sunt: Nationalia, Provincialia & Diœcesana subesse S. Pontifici extra controversiam est, & fatentur omnes etiam illi hæreci, qui concedunt Pontificem esse Patriarcham Occidentis. De Concilio universali vero exorta est hæc quæstio in Concilio Pisano, cum in eo deliberaretur de duobus Pontificibus Gregorio XII. & Benedicto XIII, qui simul in Schismate sedebant, deponendis. Deinde suscitata est denuo in Concilio Constantiensi, cum Joannes XXIII. clam à Concilio decessisset; Et maximè agitara fuit in Basileensi, quando Eugenius Papa IV. Concilium illud dissolvit. Quamvis vero postea hæc quæstio decisa videatur in Concilio Florentino Decreto 4, in quo definitur: *Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum*, & expresè in Lateranensi V. sub Julio II. & Leone X. attamen quia hoc nonnullis videtur non fuisse verè generale, & istud non definiat rem in ipsis terminis, ideo usque ad hæc tempora, quæstio hæc etiam à Catholicis, & præcipuè à Doctoribus quibusdam Galliæ movetur. Nec defuerunt qui asserere præsidenter ausi

sunt, certam & indubitatam esse Ecclesiæ Gallicanæ doctrinam: Concilium esse supra Pontificem, eamque Sententiam DD. Parisienses se propugnaturos juramento confirmare. Verum id falsum asserit Andreas Duvallius Doctor in Sorbona celeberrimus *Tract. de Rom. Pont. potestate p. 4. q. 8. & q. 7. Totus* inquit, *orbis exceptis pauculis Doctoribus eam* (sententiam) *amplectitur, & rationibus validissimis, cum ex Scriptura, Conciliis & Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmatur.* Et quamvis hæc ita se haberent, cum scriberet ista Duvallius, nihilominus postea anno 1682. Clerus Gallicanus in Comitiis quatuor edidit propositiones inter quas hæc est secunda: *Papa subjicitur Concilio, & id patet ex Concilio habito Constantiæ Sess. 4. & 5. in Saculo decimo quarto.* Sed Alexander Papa Octavus literis in forma Brevis A. 1690 die 4. mensis Augusti signatis, quæ paucis ante obitum ejusdem Pontificis diebus emanarunt, illas propositiones aliaque quædam in dictis literis contenta improbavit, cassavit, viribusque & effectu penitus & omnino vacuavit. Cum igitur

igitur hæc quæstio nunc denuo, maximè in Gallia agitari cœperit, eam hoc loco examinare ad dignoscendam auctoritatem Papæ in Decretis suis, & majorem Conciliorum notitiam, opportunum duxi.

2. Quoniam vero diversimode inter se comparari possunt Papa & Concilium, hic præcipuè quæritur: An verus Papa sit supra Concilium legitimè quidem convocatum, sed sine auctoritate Papæ in Actis procedens, an vero tale Concilium sit supra Papam.

Dicendum omnino est Papam esse supra Concilium. Ita Catholici Doctores & Theologi communiter, quorum plures doctrinam hanc fidei proximam, & contrariam erroneam appellant. Nos veritatem hanc demonstrabimus ex 13. motivis. 1. Quia Papa est Christi Vicarius. 2. Est Successor Petri. 3. Est Caput Ecclesiæ. 4. Est Pastor ovilis Christi. 5. Est Episcopus Ecclesiæ universalis. 6. Est Pater omnium Christianorum. 7. Convocat Concilia. 8. Est Judex Conciliorum eisque præscribit leges. 9. Corrigit & improbat errores Conciliorum. 10. Confirmat Concilia. 11. Datur appellatio à Concilio ad Papam. 12. Non datur Appellatio à Papa ad Concilium.

13. Hunc primatum Papæ ipsamet Concilia agnoscunt.

§. 1.

Papa est Christi Vicarius.

3. Sic Canon 39. Arab. Conc. Nicæni his verbis: *Ut qui tenet sedem Romæ sit Vicarius Christi super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contra dixerit à Synodo excommunicatur.* Sic Concilium Constantiense *Sess.* 8. *c.* 37. *& Sess.* 45 *in Bulla Martini.* Sic definit Florentinum decreto 4 *Definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem &c. esse verum Christi Vicarium.* Habeturque *c. ubi periculum de Electione in* 6. ex Lugdunensi. Et confirmant sancti Patres: Ambrosius *l.* 10. *in Lucam c.* 24. Bernardus *l.* 2. *de Consid. c.* 8. aliique, atque etiam S. Brigitta *l.* 7. *Revel. c.* 19. vocat Summum Pontificem: *Vicarium generalem Christi solum in mundo.* Addit *solum* & S. Bernardus *l. c. Unicum*, quia nemo alius Vicarius generalis in mundo præter illum; Sunt quidem & omnes Antistites Christi Vicarii, sed subordinati & particulares, non generales nec supremi, qui solus & unicus

est

est Papa. *Papa* inquit Baldus *l. Barbarius Philippus ff. de offic. Præt. est supremus DEI Vicarius, & qui contrarium dicit, mentitur.*

Cum ergo Papa sit Vicarius Christi, isque unicus & supremus, habet utique Jurisdictionem adeoque Superioritatem in tota Ecclesia non solum dispersa, sed etiam in Conciliis conjuncta, cum habeat Jurisdictionem eandem cum jurisdictione Constituentis, nimirum Christi *arg. c. 3. de appell. in 6.* Hinc ex communi Jurisperitorum sententia, Christi & Pontificis Romani unum est Tribunal *Ricc. l. 9. de Jur. person. extra Eccles. c. 2. n. 1. Hier. Gigas de resid. Episc. c. 5. Troilus Malvetius de Canoniz. Sanct. dub. 2. n. 10.*

4. Nec obstat. 1. Quod Papa dicatur Vicarius B. Petri. *c. Ego Ludovicus dist. 63. & c. Constantinus dist. 96.* Nam Vicarius hic non est aliud, quam Successor secundum antiquam vocis notionem, ut tradit Suidas Βικάριος ὁ διάδοχος παρὰ Ρωμαίοις *Vicarius apud Romanos Successor.* Est ergo Papa Petro substitutus independenter, & pari cum potestate post eum gerit munus suum. *Glos. Clem. 1. de Jurejur. V. Vicarium. Navar. Comment. de Jubilæo.* adeoque in Jurisdictione est Petri Successor.

Nec

Nec obstat 2. Quod Papa sæpe contestetur se aliquid statuere aut vetare *auctoritate SS. Apostolorum Petri & Pauli*; Per hoc enim non indicat se dependere ab illis Apostolis in usu suæ potestatis, sed solum edictum vel interdictum tale promanare ab auctoritate Pontificia suprema, qualem habuit ordinariam S. Petrus, & extraordinariam S. Paulus, ut ita revocetur in memoriam suprema in Ecclesiam potestas concredita S. Petro & Successoribus *ejus. Raynaud. Cor. aur. Onomast. Pont. V. Vicarius.*

Nec obstat 3. Quod Apostoli ab Ambrosio 1. *ad Cor. 3. & in c. 1. ad Rom.* & Diaconi à S. Ignatio *Epist. ad Trallianos* dicantur Vicarii Christi licet supremam non habeant in Ecclesiam auctoritatem; Nam Apostoli sic dicuntur cum proportione aliqua, quia post Christi abscessum jussu & vice ejus prædicarunt Evangelium, & docuerunt homines veram fidem. Diaconi autem sic appellati sunt, quia divinum Calicem populo ministrarunt, sicut Christus illum bibendum dedit Apostolis. S. Petrus vero & ejus Successores alio eminentiore sensu Vicarii sunt Christi, & vices ejus principaliter & antonomasticè agunt.

§. 2.

§. 2.

Papa est S. Petri Successor.

1. Quemadmodum Summus Pontifex est Christi Vicarius, ita est quoque S. Petri Successor, non modo in Episcopatu Romano particulari: Sed etiam in Vicaria Christi Præfectura per totam Ecclesiam cum pari potestate Apostolicæ plenitudinis, ita ut non aliam aut pleniorem acceperit à Christo Pontificiam potestatem Petrus, quam quilibet in Romana Sede Successorum. Quæ veritas certa est ex fide, & definita tum in aliis Conciliis, tum in Lugdunensi sub Innocentio IV. & habetur *c. 1. de homicidio in 6.* Viennensi sub Clemente V, Constantiensi *Sess. 8. & 25. & in Bull. Mart. V.* Suffragantur magno numero SS. Patres. Chrysostomus *l. 2. de Sacerd.* Bernardus *l. 2. de Consil. c. 8.* aliique apud Bosium *l. 18. de Sign. c. 3.* Valentiam 2. 2. *Disp. 1. q. 1. punct. 7. à §. 36.* Cenedo *part. 1. Collect. Jur. Can. Tit. 11. n. 1.* Nobis hic sufficiat S. Leo qui Serm. 2. de anniversario assumptionis suæ inquit: *Manet dispositio veritatis & B. Petrus in accepta fortitudine Petri perseverans susceptа Ecclesiæ gubernacula non relinquit, perseverat videlicet*

licet Petrus, *& vivit in Successoribus suis.* Et Philippus Cœlestini Papæ Legatus. Tom. 2. Conc. c. 26. *Nulli dubium imo sæculis omnibus notum est sanctum Beatissimumque* Petrum *Apostolorum Principem & Caput fideique columnam Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino* JESU *Christo Salvatore nostro humanique generis Redemptore cœlestis regni claves accepisse, solvendi atque ligandi potestate, quam acceperat, usum fuisse; Necnon per Successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse. Hujus itaque ordinarius Successor & Vicarius sanctus Beatissimusque Papa & Episcopus noster Cœlestinus, nos huc pro se quasi Vicarios ad hanc S. Synodum misit.* Atque ratio evincit: Cum enim potestas Pontificia collata sit S. Petro in bonum Ecclesiæ, quæ permanebit usque ad finem sæculi, necesse fuit eandem tribui potestatem Successoribus Ecclesiam suo tempore moderantibus, quæ concessa est S. Petro pro eo tempore, quo Ecclesiam gubernavit. Imo cum nunc sublatis è terra Christo & Apostolis,

lis, accrescente numero & malitia Christianorum, major sit paris potestatis necessitas, in qua Christi providentia non deficit, nullatenus illa Successoribus Petri deneganda est, ne ut S. Cyprianus inquit *l.* 1. *Epist.* 3. *Gubernatore sublato atrocius atque violentius circa naufragia Ecclesiæ hostis grassetur.* Atque ob hanc rationem dixit S. Augustinus: *Claves tributas esse S. Petro in persona Ecclesiæ.* Et iterum: *Claves non Petro, sed Ecclesiæ fuisse traditas*, quia traditæ sunt Petro non ut homini singulari resumendæ post obitum ejus, sed ut personæ publicæ, adeoque omnibus, qui ei successu temporis sufficiendi essent in Ecclesiæ gubernatione. Hi ergo in gubernaculo isto exhibent personam Petri, & sunt repræsentativè idem quod Petrus, pro ut eos post multa etiam sæcula in Cathedra Petri sedentes frequentissimè compellarunt. S. Innocentius I. *Epist. ad Concilium Milevit*, Agatho Papa *Epist. ad Constant. IV.* literas dedit ad Francorum Principes nomine S. Petri, quæ extant apud Baronium ad A. 755. & Grezerum. Atq; etiam in literis formatis & Decreto magni Nicæni Concilii post literas initiales nominum Græcorum: Patris & Filii & Spiritus san-

cti

cti ponebatur litera P. initialis nominis B. Petri, quo significabatur, eum cui literæ tradebantur, esse Catholicæ communionis.

2. Jam vero S. Petrus constitutus est à Christo non tantum supra particularem aliquam, sed etiam supra universalem Ecclesiam conjunctim, quam repræsentat Concilium generale. Patet id Primò *Matth.* 16. ex his verbis: *Tu es Petrus & supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quibus verbis ex communi Patrum consensu promittitur Petro Principatus Ecclesiæ Christi, & ut sit fundamentum illius & basis. Princeps vero major est regno suo etiam conjunctim collecto, & fundamentum tribuit firmitatem structuræ, eamque sustentat & portat, non vero ab eo stabilitur & sustentatur. Ergo & Petrus major fuit Ecclesiæ & Concilio, eique firmitatem tribuit in rebus fidei & morum, non vero accepit. Confirmant id verba sequentia. *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solveris super terram erit solutum & in cælis.* Per claves significabatur suprema potestas tum Ordinis tum jurisdi-

ctio-

ctionis. *Isai. c. 22. Apoc. 3. l. Clavibus 74 de contrab. empt. & §. 45. Instit. de rer. dom.* Quæ ibi promittitur in Ecclesiam non dispersam solum per orbem, sed etiam in Concilio congregatam. Hoc denotat τὸ *quodcunque ligaveris & solveris*, nimirum ubicunque & quandocunque id conveniens Petrus judicaverit in Ecclesia (quam familiari phrasi *regnum cælorum* Christus appellat, ut docet S. *Greg. Hom. 12. in Evang.*) aut Concilio, quod Ecclesiam repræsentat, adeoque quod hoc clausit ligavitque poterat Petrus & Successores ejus aperire & solvere, quod ubiq; signum est Superioritatis supra Concilium, præsertim cum huic nullibi facta sit promissio aut traditio Clavium aut potestatis in Papam.

3. Deinde Luc. 22. Christus sic alloquitur Petrum: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit, ut cribaret vos sicut triticum; Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hic duæ exprimuntur prærogativæ Petro præ cæteris concessæ. Prima quod Christus tanta cura & sollicitudine oraverit specialiter pro Petro, ne fides ejus potius quam cæterorum deficeret, utique

quod

quod ab illo tanquam fundamento, Pastore capiteque Ecclesiæ potius, quam à reliquis Apostolis Ecclesia & Religio dependeret. Secunda. Ut Petrus confirmaret Fratres suos; Confirmare vero illius est, qui majorem habet auctoritatem & potestatem; Adeoque per hæc verba concessum est Petro privilegium infallibilis veritatis in definiendis rebus fidei, quæ in eo non deficiet, & potestas confirmandi Fratres, hoc est fideles, adeoque & Concilia dirigendi, corrigendi, approbandi, aut etiam, si necesse fuerit, dissolvendi; quæ nullibi concessa leguntur Conciliis. Concessa sunt ergo hæc præeminentiæ privilegia soli Petro & Successoribus ejus; Nam cum Ecclesiam impugnare Sathanas non cesset, necesse fuit, ut ea in Successoribus Petri confirmentur, ut perpetuo hosti perpetuus opponatur Dux & Defensor. Valide hæc confirmant verba Christi Joann. ult. *Pasce oves meas*; Sed de his agetur infra §. 4.

§. 3.

Papa est Caput Ecclesiæ.

Pontificem rectè appellat Petrus Damianus in Odilone: *Caput omnium Christianorum.* Joannes Constantinop. ad Con-

Constanti. Papam : *Caput Sacerdotii quod in Christo est Canonicè.* Episcopi Moësiæ Epist. ad Leonem Aug. in fine Conc. Chalced. *Caput omnium Episcoporum.* Concilium Nicænum c. 39. apud Pisanum *l.* 3. *Caput & Principem omnium Patriarcharum.* S. Theodorus Studita *Epist.* 33. ad Leonem III. *Caput divinissimum omnium capitum.* Concilium Calced. Epist. ad Leonem, Chrysostomus *Hom.* 55. *in Matt.* aliique *Caput Ecclesiæ.* Atque esse Ecclesiæ universalis caput definitum est in Conciliis Constantianensi *Sess.* 15. *& ult* in Bulla Martini V. Florentino *Sess. ult.* Lateranensi ult. *Sess.* 11. Lugdunensi habetur *cap. Ubi periculum de Elect. in* 6. Idem confirmat S. Leo in Epist. ad Episcopos Viennenses 78, quæ habetur in *cap. Ita Dominus dist.* 19. Nicolaus III: in *c. Fundamenta* 17. *de Elect. in* 6. Patres Concilii Ephesini in actis *Sess.* 4. S. Thomas *l.* 4. *Contra gentes c.* 76. *& cont. errores Græc. c.* 65. *&* 3. *p. q.* 8. *a.* 6. Deducunt SS. Patres hunc titulum ex illis verbis Christi Matt. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram* &c. apud Suaz. *l.* 3. *defens. c.* 10. Covarruviam *lib.* 4. *Variar. c.* 14. *n.* 11. & ex illo Joan. 21.

Pa-

Pasce agnos meos &c. apud Bellarm. *l.* 1. *de Pontif. c.* 14. *& seqq.* Ita verò Papa caput est Ecclesiæ universalis, ut sit caput omnium collectivè Ecclesiarum etiam in uno loco congregatarum, cum quicquid Christi membris annumeratur, cui certè annumeratur etiam Ecclesia in Concilio collecta, subsit Romano Pontifici ut capiti. Ideo Philippus Cœlestini Papæ Legatus in Ephes Conc. *cap.* 15. apertè edixit: *Gratias agimus sanctæ venerandæque huic Synodo, quod literis Cœlestini Sanctissimi Beatissimiq; Papæ vobis recitatis sanctæ Ecclesiæ membra, sanctis vestris vocibus piisq; præconiis sancto vestro Capiti vos exhibueritis. Non enim ignara est vestra Beatitudo, totius fidei cæterorumq; omnium Apostolorum Caput Beatum Apostolorum Petrum extitisse.* Jam vero perspicuum est Caput non humeri tantum & brachii, sed universi corporis esse caput idque cæteris membris non tantum separatis, sed etiam unitis præstare, à quo hæc motum & imperium accipiunt, ideoque etiam Papa Ecclesiæ caput est non dispersæ tantum & singulorum membrorum, sed collectæ, quoque & universorum, præstatque omnibus simul in Concilio

cilio congregatis. Est ergo Papa supra Concilium præsertim cum hæc dignitas Capitis nullibi in sacris literis Concilio attribuatur.

Neque hinc inferas monstrosam & bicipitem esse Ecclesiam, cum certum sit ejusdem Caput esse Christum; Nam Christus caput est in terris nunc invisibile & principale, quia est caput pro omni tempore quo influxit & influet gratiam; Pro omni statu tam invia quam Patria, & secundum omne genus gratiæ distributum hominibus. Pontifex vero Caput est Ecclesiæ visibile subordinatum & Vicarium per comparationem ad Christum, adeoque non est monstrosa Ecclesia cum non habeat duo capita ex æquo in eodem genere.

§. 4.

Papa est Pastor Ovilis Christi.

Christus per hæc verba: *Pasce Oves meas* Joan. ult. soli Petro tribuit supremam potestatem omnemque curam pascendi oves suas; Soli namque illi loquitur, solum examinat, & à solo responsum accipit, adeoque quod *Matth.* 18. promiserat Christus, hic actu Petro confert. Sunt quidem & alii Pastores, qui-

bus dictum est: *Pasce, qui in vobis est gregem DEI*; Sed longe excellentiore modo Pastor est Petrus & quilibet Romanus Pontifex; Ipse enim absolutè & antonomasticè unus dicitur Pastor unius ovilis juxta æternæ Veritatis edictum: *Fiet unum Ovile & unus Pastor. Sunt quidem*, scribit S. Bernardus ad Eugenium Papam *l. 3. de Consid. c. 7. & alii cæli Janitores & gregum Pastores, sed tu tanto glorioſius, quanto & differentius utrumque præcæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor.* Quam veritatem pariter Emissenus eruit ex verbis illis Joan. 21. *Respondente Petro*, inquit, *Domine tu scis quia amo te, ait Christus: Pasce oves meas. Prius agnos, deinde oves ei commisit, quia non solum Pastorem ovium, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves, pascit filios, pascit & matres, regit & subditos & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter Agnos & oves in Ecclesia nihil est. Nihil,*

bil, inquam, quod non suis Pastoribus Christus commiserit. Pascit igitur Petrus ejusque in cura pastorali Successor & subditos & Prælatos, eosque non tantum dispersos per Ecclesias suas particulares, sed etiam in Concilio congregatos, quia & sic ad ovile Christi pertinent, & incumbit Pastoribus in bonum Ovium tam collectarum quam separatim palantium invigilare exhibendo illis doctrinæ sanæ pabulum, ducendo illas, tuendo, medendo, & si exerrent, adhibendo virgam percutientem, ut deviantes reducat, id namque verbum ποιμάινος, quo S. Joannes usus est significat. Jam vero hæc cura Ovium non Petro solum, sed omnibus legitimis ejus Successoribus commissa est; Cum enim Ovile sit perpetuum, perpetuus quoque esse debuit Pastor, quandoquidem oves jam non minus Pastore indigent, quam olim, periculis æque gravibus ac majoribus etiam à Lupis aliisque adversis imminentibus. Ideo Innocentius III. *Nobis autem*, inquit, *in B. Petro sunt Oves Christi commissæ dicente Domino*: Pasce *oves meas*: *Non distinguens inter has oves, & alias, ut alienum à suo demonstraret Ovili, qui Petrum & Successores ipsius*

Magistros non recognosceret. Cum itaque Pastor sit supra Ovile, non Ovile supra Pastorem, indubie tenendum est Papam quoque esse supra Ecclesiam etiam in Concilio congregatam. Et cum nullus reperiatur locus in sacra Scriptura, qui Ecclesiæ vel Concilio tribuat in Petrum aut Papam auctoritatem, id quoque non est asserendum, cum non sit recedendum à regula donec contrarium probetur. *c.* 2. *de Conj. lepros. c. ad decimas de restit. spoliat. in* 6. Idque vel maximè in sacra Scriptura & illis quæ à sola pendent DEI voluntate & institutione. *S. Th.* 3. *p. q.* 1. *a.* 3.

§. 5.

Papa est Episcopus Ecclesiæ universalis.

1. Sic eum appellat Sixtus I. A. 141 martyrio affectus *Epist.* 2. Victor primus *Ep.* 1. Pontianus *Epist.* 2. Stephanus I. *Epist.* 2. S. Leo *Epist.* 54. 57. 62. 69. 75. 97. Pompeius & Anastasia ad Hormisdam. S. Cyprianus vero *Epist.* 46. ac sæpe Pontifices vocant *Episcopum Ecclesiæ Catholicæ.* Acta S. Tiburtii, Tertullianus de pudicitia, Arnobius in *Psal.* 138. & Gervasius Rhemensis Epist. ad Paschalem Papam: *Episcopum Episcoporum.* Cas-

sido-

siodorus Epist. 15. l. 9. *Episcopum Patriarcharum.* Petrus Blessensis *Epist.* 27. *Episcopum unicè summum & singulariter generalem* S. Bernardus *Epist.* 239. *Episcopum Orbis* Chalcedon. Concilium *Act.* 3. in tribus Epistolis *Episcopum universalem.*

Omnes vero hi tituli præeminentiam Papæ supra Episcopos, Patriarchas, & universalem Ecclesiam totumque orbem denotant; Non secus ac titulus Episcopi significat Superioritatem supra Parochos & Parochianos illi subjectos; Hi namque apud Christianos Episcopi dicuntur, qui Ecclesiam superinspiciunt, ut ait Sidonius *l.* 6. *Epist.* 1. & regunt. *Græcum est enim*, differit S. Aug. *l.* 19. *Civit. c.* 19. *at ǵ inde deductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit; Curam eorum scilicet gerens,* ἐπὶ *quippe super* σκοπὸς *vero intentio; Est ergo* ἐπισκοπεῖν, *si velimus, Latinè superintendere, possumus dicere.* Episcopi vero non solum sunt super Parochos suos, eosque superinspiciunt & regunt, cum dispersi sunt per Parœcias, quas administrant, sed etiam cum congregati sunt in Con-

cilio Diœcesano. Pari ergo ratione Papa tanquam Episcopus Ecclesiæ universalis non solum est supra Episcopos, Patriarchas cæterosque Prælatos, quando dispersi per orbem terrarum excubant in certis districtibus gregi sibi concredito, sed etiam quando conjuncti sunt in Concilio generali, quia sicuti Episcopi, Metropolitæ & Patriarchæ non desinunt esse tales in Conciliis Diœcesanis, provincialibus & nationalibus, ita nec Papa desinit esse Episcopus Episcoporum & universalis Ecclesiæ in Conciliis generalibus, cum hanc dignitatem acceperint immediatè à DEO, & non à communitate, nec communitati ullum jus novum conferat collectio.

2. Nec obstat. 1. Quod vocet S. Clemens *Epist.* 1. S. Jacobum, & Sidonius Appollinaris *l.* 6. *Epist.* 1. S. Lupum Episcopos Episcoporum, qui tamen Romani Pontifices non fuerunt; Dicti namque sunt ita hi Præsules ob exemplum vitæ, quo cæteris præluxerunt, ut omnium Præsulum velut exemplar & idæa dici potuerint, non vero per proprietatem & vi muneris, ratione cujus soli Romano Pontifici hic titulus competit.

Nec obstat 2. Quod S. Cyprianus in Con-

Concilio Affricano neget quemquam debere se Episcopum Epifcoporum appellare, nam loquitur de Collegis suis in Concilio illo congregatis, non de Romano Pontifice, ut observarunt S. Hieronymus *Dial. contra Lucif.* & S. Augustinus *l. 2. de Baptis. contra Donat. c. 2.*

Nec obstat 3. Concilium Cathaginense III, *cap.* 26. & habetur in *cap. 1. dist.* 99. improbans titulum Episcopi universalis, cum loquatur non de Papa, sed de Patriarcha istius Provinciæ.

Nec obstat 4. Quod S. Gregorius *l. 7. Epist.* 30. & habetur *in cap. Eccl. dist.* 99. *Et l.* 4. *Epist.* 38. 39. 30. 32. 34. 36. *& l.* 6. *Epist.* 30. *ad Maurit.* refugiat Episcopi universalis titulum tanquam fastuosum, arrogantem & in aliorum Episcoporum contemptum cedens; Nam insectatus est hunc titulum ob superbiam Joannis jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani, qui eum sibi arrogavit. Ipse vero Pontifex, uti & alii quidam noluerunt eum in usum inducere ob sensum aliquem perversum, quem hic titulus præseferre posset, quasi nemo alius esset in Ecclesia Episcopus præter Papam, & cæteri Episcopi essent solum Vicarii Papæ, quod est contra Hierarchiam Ecclesiasticam, quæ plures complectitur Episcopos & Pastores,

res, quamvis cum subordinatione ad Romanum Pontificem; In alio autem & genuino sensu hujus tituli, qui non excludit particulares Episcopos, solamque universalem totius Ecclesiæ, & omnium in ea Antistitum curam denotat, non denegat S. Gregorius Romano Pontifici, sed eum strenue & calamo & ipso facto asseruit. *l.* 7. *Epist.* 63. *&* 64. & alibi sæpius.

§. 6.

Papa est Pater omnium Christianorum.

Hic titulus vendicatur Romano Pontifici in Concilio Florentino *Sess. ult.* his verbis: *Definimus Sanctam & Apostolicam sedem & Romanum Pontificem omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere.* Et jam ante dixerat Petrus Damiani *Opusc.* 23. *c.* 1. Pontificem esse *Patrem orbis*, & Episcopi nostræ Germaniæ ad Joannem octavum *Patrem summum.* Petrus Cluniacensis. *l.* 8. *Epist.* 43. *Patrem universalem*, & *Epist.* 27. *Patrem Ecclesiæ* S. Bernardus *Epist.* 130. *Patrem universitatis.* Hinc plures non improbabiliter putant nomen *Papa*, idem esse,

esse, ac Pater Patrum, sic Remigius Altissiod. *de celebrat. Missæ.* Et Thomas Illyricus. *Tract. de potest. Papæ* §. *Non igitur*, certe *Papa* idem esse quod *Pater* ex Græcorum & Latinorum usu, quo parvuli Balbutientes adhuc abblandiendo Patri Papam vocant, constare videtur, sic Athenæus *l.* 8. χαῖρε πάππα φίλτατε. Et *Odiss.* 3. Πάππα φίλε. Et cum plures Episcopi & minores etiam Sacerdotes olim quandoque Papæ sint appellati, ex decreto Gregorii VII anno 1073. in Synodo contra Schismaticos stabilitum, ut solus Romanus Pontifex Papa diceretur. *Raynaud. l. c. V. Papa.*

Jam vero quis negabit primas tenere Patrem domi suæ, & imperium habere jure naturali in filios & domesticos, non solum extra domum ad varia ministeria emissos, sed etiam domi conjunctos. Ideoque & Pontifex primas ubique habebit in Christianos, Ecclesiam, & Præsules etiam in Conciliis generalibus congregatos. Nec dicas Papam esse Filium Ecclesiæ, adeoque illi subjectum; Est namque Filius & Pater respectu diverso, Filius ut est Baptizatus, & sic præcepta Ecclesiæ observat; Pater vero ut Papa est, & sic supremam habet auctoritatem, cui omnes obedire tenentur. §. 7.

§. 7.

Papa convocat Concilia generalia.

1. Id jam supra ostendimus *c. 6. n. 2.* Sed cum ex eo veritas proposita de auctoritate Papæ supra Concilium plurimum confirmetur, distinctius & paulo explicatius hic declarandum illud erit.

Convocari Concilia possunt triplicitер: Per modum præcepti, exhortationis & executionis. Præceptivè, cum vocanti obedire debent Episcopi, nisi legitimè sint excusati, solus Pontifex convocare potest, non Rex aut Imperator, quia in causa Religionis & circa personas Ecclesiasticas nullam potestatem aut jurisdictionem habent Principes sæculares, sed solus Pontifex. Hic tamen Regibus & Principibus interdum reliquit convocationem, quia & sumptus præstare necessarios, & ea quæ facti sunt melius, præsertim in territoriis ipsis subjectis, procurare poterant. Cæterum sine auctoritate Papæ Concilia ab Imperatoribus convocata nec vim nec robor habuerunt. Patet id in Ephesino II. à Theodosio juniore, Antiocheno & Ariminensi à Constantio; Constantinopolitano secundo à Leone Imper. Synodo in Trullo à

lo à Justiniano Imp. aliisque Constantinopoli à Constantino Copronymo convocatis. E contrario Concilia à Pontificibus absque Imperatorum consensu congregata robur suum obtinuerunt; Ostendit id Concilium Sardicense reluctante Constantio Imp. à Julio congregatum, *Anast. in apolo.* 2.

2. Per modum vero Exhortationis & Executionis convocare possunt Concilia Imperatores, & id ipsum sæpè ex pio Zelo & amore pacis Ecclesiasticæ fecerunt, sed nullam per hoc auctoritatem præceptivam sibi arrogarunt. Testantur id luculenter Valentinianus & Martianus Imperatores ad Leonem Papam his verbis: *Tuam sanctitatem principatum in Episcopatu fidei possidentem invitamus, atque rogamus ad celebrandam Synodum te Auctore.* *Epist. præamb. Syn. Chalced.* Et Constantinus VI. Imp. sic in Epist. ad Agathonem Papam: *Invitare & rogare possumus ad omnem commendationem, & unitatem omniũ Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus*, Martianus ut se paratum ostendat exequi Pontificis voluntatem sic scribit ad Leonem Papam:

Si one-

Si onerosum est, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis propriis literis tua sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, ut ad aliquem definitum locum, qui nobis placuerit omnes Episcopi conveniant. In Epist. præamb. Conc. Chalced. Sic quoque Constantinus & Irene profitentur *Se Romani Pontificis hortatu & veluti jussu Episcopos congregasse* ad Nicænum II. *Act.* 1. dicti Concil. Et ad Concilium Tridentinum jussit edicto publico Carolus IX. Galliæ Rex Episcopos proficisci sollicitante Pio IV. Pont. Si ergo auctoritate præceptiva Pontifex congregare possit Concilia, ab ejusque voluntate dependeat, ut legitimè convocentur, quis inficiabitur eum supra Concilium esse?

3. Nec obstat quod Leo Papa impetrare non potuerit à Theodosio juniore, ut convocaret Concilium in Italia, quod supplex petierat Pontifex ab Imperatore his verbis: *Pietas vestra suggestioni & supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium.* Sed congregarit id Ephesi

phesi citiusque quam Papa postulaverat; Nam Pontifex rogavit solum Imperatorem, ut executionem faceret sui desiderii; Quod autem illi non obtemperarit Theodosius circa locum & tempus pessimè id quidem actum, ideoq; dicta est illa *Synodus prædatoria*, & non *Judicium sed latrocininm* ibi exercitum fuisse scribit Leo *Epist.* 5.

Neque etiam obstat quod idem Papa Leo nec à Martiano Imp. obtinere potuerit, ut Synodum differret, sed debuerit Papa Imperatoris voluntati acquiescere. *Epist.* 44. & 49. Nam id factum est: *Beatissimi Petri Apostoli Sedis jure atque honore servato*, ut scribit Leo *Epist.* 47. ad Synod. Chalced. & Pontifice etiam consentiente, ut idem Leo profidetur in *Epist.* 43. ad Imperatorem his verbis: *Proposueram quidem ut Synodum aliquantisper differre juberetis, sed quia pro studio humanis negotiis divina præponitis &c. Ego etiam vestris dispositionibus non renitor optans &c.*

§. 7.

Papa est Judex Concilii eique præscribit leges.

1. Diximus supra *cap.* 13. *n.* 5. Concilium

lium generale ut legitimum sit inter cæteras conditiones requirere, ut illi præsideat per se vel per Legatos Pontifex, id vero intelligendum non est de quacunque præsidentia quo ad externas solum actiones ordinandas, uti quandoque Imperatores præsederunt, neque de præsidentia honoraria, ut præsidet Scabinus in Senatu civium, qui Primus sedet, & loquitur, in definiendo tamen par est cæteris. Verum intelligendum est de præsidentia conjuncta cum auctoritate agendi & definiendi, quam cæteri in sententiis suis sequi tenentur; Proindeque præest Concilio Papa tanquam Judex, qui præscribit leges & formam modumque procedendi. Sic Synodo Ephesinæ præscripsit Cœlestinus Papa formam & regulam juxta quam, nec aliter judicarent. *Act. Conc. Ephes. c.* 15. Leo Papa præscripsit formam modumque Synodo Chalcedonensi, quem secuta est actione 2. *Evagrius l.* 2. *c.* 4. eamque coëgit *Act.* 5. doctrina sua & auctoritate Judicis in aliam flectere sententiam, & suæ Epistolæ subscribere. Damasus tanquam Judex acta Synodi Constantinopolitanæ in Concilio Romano à se coacto examinavit & confirmavit. Jam vero quis non agnoscit in Judice majo-

rem

rem esse auctoritatem & præeminentiam, quam in Concilio vel Senatu, cui ipse præest & leges præscribit, quibus omnes se conformare tenentur?

2. Nec dicas 1. Imperatores per se vel Deputatos Conciliis præfuisse: Constantinum M. Nicæno I. & libellos supplices accepisse. *Sozomenus l.* 11. *c.* 16. In Constantinopolitano I. Theodosium Seniorem omnem actionem moderatum esse *Sozom. l.* 7. *c.* 8. Ephesino I. Theosium juniorem per Candidianum Comitem præsediſſe, & in eo comparere noluisse Joannem Antiochenum cum suis Episcopis, licet à Concilio & Legatis Pontificiis evocatum, nisi mandato ab Imperatore accepto *Liberatus in Breviar. c.* 6. In Chalcedonensi Martianum Imp. per suos Concilii actiones moderatum esse. *Act. Concil.* Respondetur, Imperatores per se vel per missos Patricios, quos *Judices* vocabant præsediſſe, solum quo ad actiones externas Concilia defendendo, litigantes à tumultu compescendo, & mandando executioni, quæ Concilia decreverant; Nil vero, quod ad fidem spectabat, definiebant, aut confirmabant. Constantinus enim, ut testatur Ambrosius *Epist.* 32. *Nullas leges, ante*

præ-

præmisit, sed liberum dedit judicium Sacerdotibus. De libellis vero supplicibus judicare noluit ex *reverentia impensa*, ut ait Gregorius M. *in Regist. l. 4. Epist. 3.* In Concilio nonnisi annuentibus Episcopis considere voluit. *Euseb. l. 3. c. 10. de Vita Constant.* & in humiliori sede *Theodoretus Hist. Eccles. l. 1. c. 7.* contestatusque non suum sed Episcoporum esse judicare. Constantini exemplum secutus Martianus: *Nos*, inquit, *non ad ostendendam potentiam, sed ad confirmandam fidem exemplo Constantini Religiosi Principis Concilio interesse voluimus. Act. 6. Conc. Calced.* De Theodosio Seniore scribit Ambrosius: *Noluit is injuriam facere Sacerdotibus; Ipsos Interpretes constituit Sacerdotes. Act. Conc. Aquile.* Theodosius junior Candidiano Comiti in commissis dedit: *In nullo quidem quæ facienda sunt de piis dogmatibus quæstiones communicare &c. Epist. 17. Cyrilli.* Quæ vero contra Concilium in favorem Joannis Antiocheni fecit, deceptus fuit; Videantur acta. De Martiano paulo ante dictum; Judices ab eo deputati decreta Concilii executioni solum mandarunt, ut patet ex actione 2. 4. & alibi.

Nec

Nec dicas 2. Si Papa in Concilio Episcopis præsidet cum auctoritate definiendi, Episcopi non habebunt suffragia, nec Judices erunt in causa fidei, sed vel ministri vel Consiliarii tantum Pontificis, sicque nulla esset Synodi auctoritas. Nam respondetur Episcopos habere sua suffragia, & Judices esse in Conciliis, sed sequi debere sententiam Successoris Petri, qui primus judicat & primus definit prout in Concilio Apostolico *Act.* 15. Petrus primus suffragium dedit, & *in ejus sententiam cæteri Apostoli transierunt*; Cum enim singuli Episcopi errare possint, & major aliquando pars erraverit, ut patet in Calcedonensi *Act.* 5. *& ult.* & Ariminensi toto, Petrus vero ejusque Successor fidei acceperit indefectibilitatem à Christo, ut nimirum fluctuantes *Fratres* & Coepiscopos *confirmaret in fide Luc.* 22. merito, ne in fidei definitione errent Episcopi, sequi debent suffragiis suis sententiam illius, qui errare non potest, hoc est Papæ.

§. 9.

Corrigit & improbat Concilia, quæ sine auctoritate Papæ errare possunt.

Anno 340. Concilium Antiochenum

ideo rejectum est, ait Socrates, *quia neq; Julius Romanus Episcopus aderat, nec quenquam qui ejus locum suppleret, ei misit.* *Hist. Eccl. l. 2. c. 5.* ideoque acta illius Julius reprobavit. *Athan. in Apolog.*

Anno 359. Liberius Papa Synodum Ariminensem 400. & plurium Episcoporum tanquam illegitimum rejecit Epist. Damasi & Synodi Romanæ *apud Theodor. l. 2. c. 22.*

Anno 381. Erravit secunda Synodus Oecumenica Constantinop. cui Pontifex nec per se, nec per Legatos præsedit, & errorem S. Leo reprobavit. *Epist. 51. adAnat.* Gregorius M. *l. 6. indic. 15. Epist. 5.*

Anno 451. Erravit Synodus quarta Oecumenica Chalcedonensis sub Leone I. Pontifice, quando sine sententia Legatorum *act. 15. Can. 28.* Archi-Episcopo Constantin. primatum in Oriente detulit, qui Canon à Sedis Apostolicæ Legatis expungi jussus est *Act. 16. & in Epist. S. Leonis 59. Et Epist. ad Anatol. 51.* In eadem Synodo *Sess. 6.* Legati Pontificii formulam ob emissas quasdam voces hæresin Eutychetis exprimentes Actis Concilii inscribi passi non sunt, sed aliam licet acclamantibus importune Patribus conscribi fecerunt.

Anno

Anno 692. Erravit Synodus quinisexta, quoad cœlibatum Sacerdotum, & Sabbati jejunium *Can.* 13. & 55. ideoque à Patribus *Erratica* dicta & à Sergio aliisque Pontificibus reprobata est.

Anno 699. Erravit Synodus secunda Ephesina 188. Episcoporum absolvendo Eutychen, & damnando S. Flavianum aliosque Catholicos Episcopos, ut dicta fuerit *Latrocinalis & prædatoria*, ac à Leone Papa damnata sit.

Anno 1531. Erravit Concilium Basilienſe, ideoque ab Eugenio IV, & Leone X. in Concilio Lateranensi damnatum fuit.

Corrigere vero & rejicere Acta Conciliorum, atque integra ipsa Concilia reprobare, denotat satis auctoritatem & Primatum Papæ supra Concilia, ut ex lumine rationis perspicuum est.

§. 10.

Confirmat Concilia.

Ex hoc quoque capite patet auctoritas Papæ supra Concilia, nam confirmare Acta eaque roborare, ac rata habere gesta communitatis alicujus, est Superioris auctoritatis & Principis, cui talis communitas subjacet. Generalia vero

Concilia hactenus omnia & singula à Romanis Pontificibus confirmata esse patet inductione.

Primum Concilium Nicænum confirmatum est à Sylvestro, prout Patres his verbis petierant: *Quidquid constituimus in Nicæno Concilio precamur vestri oris consortio confirmetnr.*

Secundum generale Concilium Constant. I. confirmavit Damasus *Phot. l. de 7. Synod.* ad quem sic Patres: *His rebus omnibus tanquam legitimè secundum Ecclesiæ Canones constitutis obsecramus vestram Sanctitatem ut consentiat. Theodor. histor. Eccles. l. 5. c. 9.*

Ephesinum primum, quod tertium est generale confirmavit Cœlestinus, sic Cyrillus *Epist.* 29. quod *Cœlestinus Papa scripserit consona S. Synodo, & omnia illius gesta confirmaverit.*

Concilium Chalcedonense, quod est generale quartum, ut confirmet Leo Pontifex, his Patres efflagitant: *Rogamus & tuis decretis nostrum honora judicium, & firmitas tua filiis, quod decet adimpleat Act. 3. in Epist. ad Leonem* Sicque de quatuor primis Conciliis manifestum est confirmata esse à Pontifice;

De

De cæteris idem relucet supra ex serie Conciliorum generalium.

Nec obstat 1. Imperatores quoque confirmasse Concilia, ut Theodosius senior Concilium Constantinop. I. *in Act. Conc.* Et Theodosius junior, ac Martianus Concilium Chalcedonense confirmarunt *Act.* 1. & 3. Nam confirmarunt illa, ut per modum executionis conserventur, non ut per modum Jurisdictionis ab iis robur accipiant.

Nec obstat 2. Episcopos quoque Decreta Conciliorum subscriptione sua confirmare; Nam confirmant ea consensu solum ex Obedientia debito, non ex auctoritate necessario requisita.

§. II.

Datur appellatio à Concilio ad Papam.

A Concilio universali ad Papam appellandi morem antiquissimum esse testatur S. Leo *in Epist* 87. ad Episcopos Galliæ, & fundatur in vetustissimo Canone Ecclesiæ, qui præscribit causas omnes graviores, & quæstiones difficiliores ad Sedem Romanam, tanquam primam referendas esse, quod statuisse Apostolos testatur Anacletus *Epist.* 1. Si omnes causæ eo deferendæ sunt, ergo

etiam quæ in Conciliis generalibus exoriuntur, quibus se aliqui gravari sentiunt. Huc respexit Felix II. in Epist. ad Concilium Ægyptiorum; Damasus in Epist. ad tria Affricana Concilia; Innocentius I. *Epist.* 26. ad Concilium Milevitanum, aliique Pontifices, quando *exantiquis Patrum decretis ad Sedem Romanam in omnibus gravioribus causis appellandum esse* tradiderunt. Et Legati Michaëlis Palæologi in secundo Lugdunensi edicunt: *Omnes & in omnibus causis Ecclesiasticis ad Pontificem appellare posse*; Quæ verba à nullo in Concilio improbata sunt, sed omnium plausu excepta. Galasius I. *Epist.* 13. ad Episcopos Dardaniæ inquit: *Ad Sedem Apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est.* Et ut intelligatur loqui se de appellatione à Concilio subdit: *Sæpe Romanos Pontifices solvisse eos, quos iniquè Concilia ligaverant*, pro ut docent quam plurima exempla; Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinop. à Concilio depositi ad Julium Papam appellarunt, & ab eo restituti sunt. *Sozom. l. 3. Hist. c. 7.* Flavianus Episcopus Constantin. appellavit

lavit ab Ephesino secundo generali ad Leonem Papam *Leo Epist. 25. ad Theodos.* aliique à Conciliis confugerunt jure appellationis ad Sedem Apostolicam apud Bellar. *l. 2. de Conc. c. 17.* Porrò notissimi est juris illum ad quem appellatur, Superiorem esse eo, à quo appellatur, & appellationis finem & effectum esse, ut sententia Judicis inferioris corrigatur, quod sæpius à Romanis Pontificibus factum esse, quando mutarunt, quæ à Conciliis generalibus statuta fuerant, ostendimus supra, & habetur *cap. de Consang. & affinit.*

Nec obstat Patres Concilii VI. Carthaginenses sub Bonifacio primo graviter conquestos esse de appellationibus ad Papam interpositis ; Non enim de jure Pontificem appellandi conquesti sunt, neque id negare intenderunt, quod scirent in primatu fundatum usuque totius orbis receptum esse, sed de asperitate Legatorum, qui non tam Judices se, quam Executores ostenderunt æquiori sæpe causæ damnata. *S. Augustin. Epist. 261. Conc. Afric. Epist. ad Bonifacium Cap. 101. & Cœlestinum cap. 102.*

§. 12.

§. 12.

Non datur appellatio à Papa ad Concilium.

1. Sic Concilium Lateranense A. 1179. ab Alexandro III. convocatum *c.* 1. de modo eligendi S. Pontificem: *In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad Superiorem haberi*, ideoque majorem diligentiam in eo deligendo adhibendam esse. Et S. Gelasius *Epist.* 13. ad Episcopos Dardaniæ: *Ab illa* (Sede Apostolica) *nemo est appellare permissus.* Et *Epist.* 4. seu communitorio ad Faustum: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.* Idem statuitur *cap. cuncta* 9. *q.* 3. *c. Ipsi. q.* 3. *c. Si Papa Dist.* 40. Et docet B. Augustinus Triumphus *l. de potest. Eccles. q.* 6. *a.* 1. S. Bernardus *Epist.* 213. Hinc vehemens illa Constitutio Pii II. adversus eos, qui à Rom. Pontifice ad Concilium provocare erant ausi, cujus exordium est: *Execrabilis & pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inolevit abusus, ut à Rom. Pontifice*

JESU Christi Vicario (cui dictum est in Persona Petri, Pasce oves meas &c.) ad futurum Concilium provocare præsumant. Tum vero provocationes ejusmodi veluti *Execrabiles, & pristinis temporibus inauditas, materiam scandali in Ovili Salvatoris detestabiles, pestiferas &c.* damnat & proscribit. Nihilo iisdem mitius Constitutio illa cui à Cœna Domini nomen inditum.

Causas hic obiter assigno duas, cur à Papa ad Concilium appellari non possit. Prima, quia Papa est Vicarius Christi in terris generalis, ut diximus supra §. 1. Sed Vicarii generalis, & ejusdem Principalis eadem est Jurisdictio, idemque judicium. Ergo sicuti non datur Appellatio à Christo ad Concilium, ita nec à Papa ejus Vicario.

Secunda est, si appellari posset à Papa ad Concilium, ergo Papa judicari quoque à Concilio, ejusque Acta & sententia corrigi & rescindi possent, nam hic scopus est Appellationis, ut supra innui; Sed Papa à nemine in terris judicari potest, ergo nec ab eo appellari. Quod judicari non possit definitum est in Concilio à Sylvestro præsente Constantino Imp. celebrato cap. ultimo his verbis:

Nemo

Nemo dijudicet primam sedem, quoniam omnes sedes à prima Sede justitiam desiderant temperari: Neque ab Augusto, neque ab omni Clero, neq; à Regibus, neque à populo judicabitur. Dicitur *ab omni Clero*, hoc est à Concilio, in quo omnis Clerus in Præsulibus suis congregatus est. Sed nec in Concilio generali judicari posse Pontificem expressè definivit octava Oecumenica Synodus auctoritate Adriani secundi Constantinopoli habita *Act.* 10. Et habetur *cap. Definimus Dist.* 22. Licet ipse Pontifex reus esset, non potest ob crimina ab eo commissa à Concilio judicari. Ideo Synodus Sinuessana 300. Patrum in Crypta Cleopatrensi non est ausa in Marcellinum Pontificem; qui qua minis qua blanditiis Imperatorum victus, ut Thus adoleret Vestæ, sententiam proferre, sed ut habent acta: *Synodus universa dixit: Cunctorum judicio tu eris Judex ex te damnaberis & justificaberis: Tu enim Judex, tu reus.* Et rationem subdit Melchiades Episcopus: *Nemo enim unquam judicavit Pontificem; Quoniam prima Sedes non judicabitur à quoquam.* Similiter in Concilio Romano A. 432. cum Patres

tres in causa Sexti III. Pontificis dicerent: *Non licere adversus* Pontificem *dare sententiam. Surrexit protinus Imperator* Valentinianus, *& in arbitrio præfati* Pontificis *tribuit judicium suum.*

Ennodius in libello jussu Synodi Romanæ V. 115. Episcoporum, quæ Palmaria dicta conscripto, ab eoque summè probato pro defensione Symmachi Papæ sic inter cætera habet: *Aliorum forte hominum causas DEUS voluit homines terminare: Sed sedis istius Præsulis suo sine quæstione reservavit arbitrio, voluit* Petri *Apostoli Successores cælo tantum debere innocentiam.*

In Synodo Romana A. 800. sub Leone III. & Carolo M. Congregata exclamant Episcopi: Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium DEI Ecclesiarum judicare non audemus: *Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: Sed sicut ipse Summus* Pontifex *consuevit Canonicè obediemus.* Et iterum: *Rem inauditam esse, Romanum Pontificem Concilio reum sisti, qui nunquam alium*

quam

quam se ipsum Judicem habuerit. Anast. in vita Leonis Æmilius ingestis Franc. in Carolo M.

In altera Synodo Romana sub Hadriano II. A. 818. sic Papa præloquitur: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus, de eo vero quenquam non legimus.* Referuntur hæc verba quoque in octava Synodo *Act.* 7. Suffragantur Canones ex Sanctorum Summorumque Pontificum sententia desumpti. *c. Nemo* 9. *q.* 3. S. Bonifacii M. *c. Facta.* 9. *q.* 3. S. Anteri M. *c. Nemo. c. Cuncta.* 9. *q* 3. S. Gelasii Papæ. *c. Patet* 9. *q.* 3. S. Nicolai Papæ. *c. Significasti* 4. *de Elect.* Paschalis II. *c. Innotuit de Elect.* Innocentii III.

2. Nec dicas 1. Allegatos Pontifices in propria causa testari, adeoque de fide suspectos esse; Non enim in propria sed Ecclesiæ causa loquuntur, & Concilia, ut vidimus, illis astipulantur. Et si his non credendum, quibus ergo? An Conciliis? At & ipsa in propria causa testabuntur.

Nec dicas 2 S. Augustinum *Epist.* 162. scribere: *Causam Cæciliani primo judicatam à Pontifice, & deinde ab Episcopis*; Nam non necessitatis id fuit, sed conniventiæ, ut hæreticis præscinderetur tergiversandi causa. *S. Greg. in Can. Petrus* 2. *q.* 7. *Gratianus ad Can. Testes eod.* Nec

Nec dicas 3. Quam plurima exempla docere, quæ in libro de Ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus *c.* 13. congesta sunt à Papa ad futurum Concilium appellatum esse. Nam primò provocatio non est facta, ut ad superius tribunal, & Judicem Papæ, sed ad melius informandum Papam per Concilium; Patet id ex ipsa appellandi forma; Et si appellassent ad Concilium auctoritate Papæ destitutum, provocassent ad Concilium illegitimum. Secundò Appellatio est à minore ad majorem Judicem *c. Anteriorem* 4. *q.* 6. *c. Cum inferior De majorib. l.* 4. *ff. de recept.* Concilium vero quod nondum est, non est majus Papa. Atque eadem facilitate qua à Papa ad futurum Concilium provocatur, provocari poterit ab uno Concilio ad aliud, prout factum in generali Lugdunensi primo à Thadæo Jurium Doctore & Legato Friderici II. Imp. Tertio Appellatio illicita & prohibita, nulla est *c. Pastoralis. c. Consulit.* 29. *de Appell. l. Si res* 7. §. 1. *ff. de appell. recip.* Sed appellatio ad futurum Concilium gravissimè prohibita est à Calliſto III. A. 1457. à Pio II. A. 1460. in Conventu Mantuano sub pœna anathematis, & Sixto IV. anno 1483, & demum quot annis in Bulla cœnæ solenniter excommunican-

cantur, qui ad futurum Concilium appellant. Neque obstat, quod hæc ipsimet Pontifices in propria causa prohibuerint, quia hi, ut Patres Concilii Senuessani dixere. & supra quoque attigimus, sibi vel potius Ecclesiæ & Judices sunt & rei; Et si jure humano Judex cognoscere possit, an sua sit jurisdictio *l. si quis ex aliena ff. de judic. l. 2. ff. Si quis in jus vocatus. c. Super literis de rescript.* Quid ni id possit, qui jure divino Judex est supremus & Vicarius Christi?

Nec dicas 4. Juxta *c. Confidimus 25. q 1. c. Contra. c. Prima salus. c. Ideo eadem causa.* Canones & Decreta Synodorum universalium *nullam magis exequi sedem, quam primam oportere.* Nam Decreta quæ ad jus divinum & naturale pertinent, servare utique debent Romani Pontifices, & de his loquuntur citati Canones, ut patet ex *c. Sunt quidam 25. q. 1. c. Omne & c. Satagendum eadem.* Quæ vero sunt juris humani ex honestate tantum obligant Papam non necessitate *l. digna vox. C. de leg.* aut quoad vim directivam non coactivam. *S. Thom. 1. 2. q. 96. a. 5. ad 3. Bellarm. de Conc. l. 2. c 18.*

Nec dicas 5. Ex Gregorio M. & refertur *c. Sicut sancti dist. 15. Nequidem à Sum-*

mo

mo Pontifice solvi posse, quos quinque Concilia Oecumenica ligarunt, aut ligare quos illa solverunt. Nam sermo est de hæreticis damnatis ; Non enim efficere potest Pontifex, ut vera sit fides, quæ hæresis est. Neque etiam jus humanum sine gravi & publica causa immutare possunt Pontifices.

Nec dicas 6. S. Petrum palam in Concilio objurgatum esse à S. Paulo. Ergo & Papa à Concilio judicari poterit ; NAM consequentia non tenet ; Poterat quidem Paulus objurgare Petrum, sicuti quivis malè operans redargui potest; Sed non judicare, hoc enim jurisdictionis est, quam nec Paulus habuit in Petrum, nec Concilium in Papam.

Nec dicas 7. Synodum Quinisextam *Can.* 13. & 55. præcipere Romano Pontifici, ut usum Matrimonii permittat Sacerdotibus, abrogetque jejunium Sabbatinum ; Nam illegitima fuit & damnata à Sergio Pontifice. *Beda in sexta ætate in Justino. min. & Anastas. in Sergio.* Canones itaque ibi conditi ex hac Synodo auctoritatem non habent, admissi tamen sunt aliqui, quia per se sanæ erant doctrinæ, & nonnulli vitandi Schismatis causa tolerati, qualis est Canon de Matrimoniis Clericorum apud Græcos.

Nec

Nec dicas 8. *c. si quis* 42. *caus.* q. 7. Gregorium Papam Judicem aliquem agnoscere, seque illius judicio submittere, & *c. Petrus & c. Nos si in competenter* 2. q. 7. fateri Pontifices Principes sæculares posse jus dicere Pontificibus; Nam hi Canones solum asserunt posse Pontifices vel innocentiæ suæ certos, vel ex perfectione virtutis factū ipsum submittere examini conciliorum vel etiam Principum sæculariū, non vero se suamq; dignitatem. Sic S. Gregorius in hanc rem. *cit. c. Petrus. Petrus potestatem regni acceperat, & tamen idem Apostolorum primus querimiuiæ contra eum à fidelibus factæ, cur ad gentes intrasset, non ex potestate officii (qua posset dicere, Oves Pastorem suum non accusent nec reprehendant) sed ex ratione divinæ virtutis, qua gentiles acceperant Spiritum S. respondit.*

Nec dicas 9. *c. Legimus* 24. *dist.* 93. *ex Epist. Hieron. ad Evagrium* hæc haberi: *Sed dicis: Quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi præfers unius Urbis consuetudinem? quid paucitatem de qua ortum est supercilium in leges Eccleſia ven-*

vendicas? Si auctoritas quæritur Orbis major est Urbe. Ubi glossa: *Est hic argumentum, quod statuta Concilii præjudicant statutis* Papæ. Et in *c.* Nemo 9. *q* 3. *Cum Papa peccat potest ejus peccatum etiam Ecclesiæ denuntiari.* Et in *c. Si Papa dist.* 40. *Certe credo quod si notorium est crimen* Papæ, *& inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis est, quod inde possit accusari*; Nam contumacia dicitur hæresis *c. Si qui Presbyteri dist.* 81. & contumax dicitur infidelis. *c. Nullus dist.* 38.

Nam imprimis S. Hieronymus hic non agit de potestate Pontificia, sed perstringit superbiam Diaconorum, qui se Presbyteris æquabant imo præferebant; quod illis commissa esset administratio bonorum Ecclesiæ, & Romæ causis etiam præessent. *S. August. in quæst. ex utraque mixt. q* 101. Docet ergo S. Hieronymus non esse propterea Romanos Diaconos Presbyteris majores, quod arrogantiam in consuetudinem, vel potius abusum vertissent, totius enim Orbis consuetudinem paucorum in Urbe abusui præferendam. Deinde Glossa more Jurisconsultorum textus in utramque partem explicat & confert; Nam in *c. Ne-*

no 9. q. 3. ditit: *Etiamsi totus mundus sententiaret in aliquo negotio erga Papam, videtur quod sententiæ Papa standum esset.* Præterquam quod in iis quæ ad fidem & doctrinam Theologicam spectant glossæ exiguam habeant auctoritatem. Demum aliud est Papam Concilio aut Collegio Cardinalium denuntiari, aliud judicari posse; Primum admittimus cum Synodo octava Oecumenica, idque solum dicit Glossa *in c. Si Papa* non secundum.

Nec dicas 10. Octavam Synodum Oecumenicam docere, posse Concilium ferre sententiam contra Pontificem cum ait: *Universalis Synodus cum convenienti reverentia quamlibet quæstionem de Romana Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Nam permittitur hic solum Concilio, ut objecta Pontifici cognoscat examinetque, ut moneat & reprehendat, non judicet & damnet. Si sententiam in eum ferre præsumeret, audacia foret transgrediens terminos potestatis suæ.

Nec dicas 11. Dioscorum Papam fuisse ab

se ab Ecclesia damnatum. c. *Sane profertur* 24. q. 2. ex quinta Synodo; Nam Dioscorus fuit Antipapa oppositus à Schismaticis Bonifacio II. damnatusque à Bonifacio Simoniæ.

Nec dicas 12. Honorium Papam à sexta Synodo damnatum esse; Nam si damnatus sit, ob hæresin damnatus est, qui casus est exceptus ut infra §. 14. dicetur. Cum enim hæreticus non sit amplius membrum Ecclesiæ, nec caput esse poterit. Et licet Sedes Apostolica errare in rebus fidei non possit, Papa tamen ut persona privata errori est obnoxius, nec enim quicquid agit aut dicit Papa, agit dicitvè ex Cathedra ut persona publica.

Nec dicas 13. Pontifices aliquos ab Imperatoribus in exilium actos, ut Liberius à Constantio, Sylverius & Vigilius à Justiniano; Alios esse depositos ut Joannes XII. ab Ottone I. Gregorius VI. ab Henrico III. *Nam non exemplis sed legibus judicandum est. l. Sed licet ff. de offic. Præs. l. Nemo C. de sent. & interlo. C. Sana. dist.* 9. Nihil enim tam absurdum, quod suum non habeat Patronum. Ut ergo exempla factaque aliorum probent, ostendendum est prius non aberrare illa à præscriptis legum.

§. 13.

Ipsa Concilia agnoscunt Papæ primatum.

Efficacissimum argumentum esse reor pro Superioritate Papæ supra Concilia, quod eam ipsamet Concilia agnoscant. Præterquam enim quod confessi in jure pro judicatis habeantur, *l.* 1. *ff. de confessis.* formo tale dilemma: Vel Concilia infallibilis sunt veritatis, vel non sunt: Si non sint, ergo Papa est illis major & Superior in definiendo, cujus fides ex promissione Christi non deficiet; Si sint infallibilis veritatis, ergo illis credendum erit, si dicant & agnoscant Papam esse se Superiorem. Et si Concilia & Pontifices inter se conveniant in re, de qua disceptatur, nimirum de potestate Pontificum & Conciliorum, quis se constituet Judicem, ut utriusque partis sententiam aut rescindere, aut in dubium vocare præsumat? An auctoritatem sibi majorem arrogabit, quam habeat Vicarius Christi, & Concilia, quæ totam Ecclesiam repræsentant?

Jam vero videamus quomodo Concilia Primatum & Superioritatem supra se Pontifici adjudicent. Agnoscunt supra §. 1. Concilia Nicænum, Constantien-

se

tiense & Florentinum Papam esse *Vicarium Christi.* §. 2. Lugdunense, Viennense, Constantiense aliaque *Successorem Petri*, & est de fide. §. 3. Chalcedonense, Constantiense, Florentinum, Lateranense, Lugdunense esse *Caput Ecclesiæ universalis.* §. 5. Chalcedonense esse *Episcopum universalem.* §. 6. Florentinum esse *Patrem omnium Christianorum.* §. 10. Quatuor prima Concilia atque etiam cætera omnia generalia *Solius Pontificis esse confirmare Concilia.* §. 11. Lugdunense secundum *à Concilio ad Papam appellari posse.* §. 12. Lateranense sub Alexandro III. *non dari appellationem à Papa ad Concilium*: Quia Papa à nemine judicatur, Concilium Romanum sub Sylvestro, Sinuessanum, Romanum V, Romanum sub Leone III. & alterum Romanum sub Hadriano II. Quæ omnia, ut ostendimus iisdem in locis convincunt Pontifices esse supra Concilii auctoritatem.

Sed clarissimis verbis id docuit ex professo Lateranense ultimum sub Leone X. *Sess.* 2. reprobans Decretum contrarium Concilii Basileensis: *Solum*, inquit, *Ro-*

manum Pontificem tanquam supra omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum judicandorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem habere, ne dum ex sacræ scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat. Quamvis vero dubium sit, an veritas de potestate Papæ supra Concilia hic proprie definiatur, ut Decretum fide Catholica sit tenendum, & contrarium sentientes sint propriè hæretici, à magna tamen temeritate id negantes excusari non possunt ex sententia Bellarmini *l. 2. de Concil. c. 17.*

Nec objicias I. Synodum Constantiensem, quæ *Sess. 4. & 5.* tale formavit decretum: *Declarat quod ipsa potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in Capite & in membris.* Duplicem enim suggerit responsionem Eugenius Papa IV. qui Concilio Constantiensi interfuit Cardinalis,

malis, in Constitutione, qua Basilienſis Synodi decretum contra ſe editum reprobat. Prima eſt, decretum non eſſe ſumendum in ſenſu univerſali, ſed reſtringi ad ea, *quæ pertinent ad fidem, & extirpationem Schismatis*; Schiſma autem illud erat ejusmodi, ut nullus eſſet certus & indubitatus Pontifex, dubium vero Pontificem Concilio ſubijci non inficiamur, & dicemus infra §. ſequente.

Altera eſt: Robur decreto illi deeſſe utpote non à Synodo generali, ſed à tertia ſolum parte quæ Joanni XXIII. obediebat formato; Imo nec omnes qui Joanni adhæſere decretum approbarunt, ut teſtis eſt Turrecremata *Sum. de Eccleſ. lib.* 2. *c.* 99. qui Concilio interfuit.

Sed inquiunt Baſileenſes *Seſſ.* 38. *& in reſponſ. Synod.* iidem ſoli, qui Joannem ſecuti ſunt, errores Wicleffi damnarunt, iidemque ſoli depoſuerunt Joannem, ſi hæc valuerunt, valebit etiam decretum ab illis formatum. Reſpondetur: Condemnationem errorum Wicleffi robur accepiſſe à Conſtitutione Martini V. edita cum approbatione Concilii jam pleni & legitimi.

Inſtant Baſilienſes: Generale fuiſſe Concilium Conſtantinenſe cum errores Wicleffi damnavit, teſtatur ipſemet Mar-

Martinus Constitutione, qua errores illos proscribit, sic enim de hæresi suspectos interrogari jubet: *Utrum credat, quod condemnationes Joannis Wicleffi, Joannis Huss, & Hieronymi de Praga, factæ .... per sacrum generale Constantiense Concilium fuerint rite & juste factæ.* Ergo generale quoque fuit Concilium, cum declaravit majorem esse Pontifice Concilii auctoritatem quia non pauciores Patres id decreverunt. Respondetur: Concilium erat generale, cum *sacro approbante Concilio* suam edidit Constitutionem Martinus & ad hoc tempus respiciebatur, cum suspecti compellebantur fateri, *justè factas esse condemnationes per sacrum Generale Concilium.*

Urgent iidem Basileenses: Martinum Papam ratam habuisse censoriam notam articuli 41 Wicleffiani; Articulus sic habet: *Non est de necessitate salutis, credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* Qui articulus sic notatur: *Error est si per Rom. Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.*

lares. Respondetur sumi hic Ecclesiam & Concilium non seorsum à Papâ, sed conjunctim cum eo perspicuum est, cum sit sermo de Romana & universali Ecclesia. Deinde sic adstruitur Primatus Pontificis super Ecclesias particulares, ut non negetur super Ecclesiâ universam. Patet id, cum & sic interrogari jubeatur suspecti: *Utrum credat, quod Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit Successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia DEI.*

Nec objicias 2. Synodum Basileensem *Sess.* 33. tres illas propositiones decreto suo stabiliviſſe:

Veritas de potestate Concilii Generalis supra Papam..., est veritas fidei Catholicæ.

Veritas hæc, Papa Concilium Genele....sine ejus consensu nullatenus authoritativè potest dissolvere.... est veritas fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus prædictus pertinaciter repugnans, est censendus hæreticus.

Respondetur enim, auctoritatem Synodi Basileensis penitus concidisse, postquam

quam Rom. Pontificis auctoritate destituta fuit, cumque hæc Decreta tulit; Sed fuisse solum imbelle conventiculum nullo capite & auctore, sed solis clamoribus, vi ac fraude gubernatum, ut constat ex Ænea Sylvio *lib.* 1. *de gest. Basil. Conc.* qui coram ad fuit, & constabit ex infra dicendis *cap.* 17. de Concilio Basileensi; Proindeque explodendæ sunt hæ fidei veritates populo impositæ: *De potestate Concilii Generalis supra Papam &c.*

§. 14.

Casus excepti, in quibus Concilium est supra Papam.

Demonstravimus hucusque Papam esse supra Concilium, ut contrarium sine periculo erroris in fide asseri aut doceri non possit; Sunt tamen nonnulli casus, in quibus Pontifex Concilii auctoritati subjicitur. Primus est, si Papa ut privata persona hæreticus fiat. Definitum est in octava Synodo generali *act.* 7. *c. Audivimus* 24. *q.* 1. *c. Si Papa dist.* 40. *c. Novatianus* 7. *q.* 1. *c. Didicimus. c. Achatius* 24. *q.* 1. *Oves.* 2. *q.* 7.

Secundus cum Papa est dubius, quia in Schismate electus *Concil. Constant. Sess.* 4. & 5.

4. & 5. Nec tunc Concilium exercet auctoritatem in Papam, sed in eum, quem credit non esse Papam, nam dubius Papa de quo non constat, pro nullo habetur, cum in jure sint paria: Non esse, & non apparere. *l. Duo Titii 30. ff. de Test. tut. l. In lege 77. ff. de contrab. empt. l. omnia 32. §. Species ff. de Legat. 2.*

Tertius: Si Pontifex invalidè sit electus, & intrusus, tunc enim sicuti non est verus Papa, ita nec privilegiis gaudet Papalibus subjacetque Concilio. *Conc. Constantien. Sess. 39.* Ex his vero concluditur, verum Pontificem semper esse supra Concilium nec dari casum, in quo verus Papa subdatur Concilio.

CAPUT XVI.

An legitimum Concilium generale errare possit.

Concilium cui Pontifex præsidet, vel quod ab eo confirmatur, errare non potest; Secus si nec præsideat nec approbet. Quid si Legati in Concilio procedant sine instructione, vel definiatur aliquid contra instructionem Papæ? Conciliorum auctoritas minor est, quam sacræ Scripturæ.

1.

I.

CConcilium generale cui præſidet Pontifex per ſe vel Legatos ſuos ſequentes inſtructionem Pontificis, vel quod Pontifex confirmavit errare non poteſt, nec in fide nec moribus. Primo quia regitur in definiendo à Spiritu S. ut patet ex Concilio Apoſtolorum Act. 15. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*, quod norma eſt cæterorum Conciliorum, quæ ob exorientes plures & novas hæreſes, non minus quam primum Concilium indigent aſſiſtentia Spiritus ſancti. Secundo Joan. 16 dicit Chriſtus Apoſtolis: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, qui manſurus ſit cum eis & Succeſſoribus in æternum *c.* 14. Non docet vero Epiſcopos ſeorſim exiſtentes omnem veritatem, ergo in Concilio cum capite ſuo Congregatos. Tertio Concilia generalia ſic congregata repræſentant totam Eccleſiam, & in iis reperitur conſenſus totius Eccleſiæ, nimirum capitis & membrorum; Tota verò Eccleſia errare nequit in credendo vel docendo, quia *portæ inferi, non prævalebunt adverſus eam.* Matt. 16. Et Eccleſia DEI vivi eſt columna & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. Quarto, quia regitur vel confir-

matur

matur à Papa, qui errare non poteſt. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc.* 22. Quinto ſic ſtatuunt Concilia Epheſinum circa finem & Chalcedonenſe *Act.* 5. *Can. ult.* præter quamplurimos SS. Patres apud Bellarm. *de Conc. l.* 2. *c.* 3. & lege ſanxit Martianus, ne ſemel definita in Conciliis generalibus retractentur. *l. Nemo c. de Sum. Trin. & fide Cath.*

Nec dicas. 1. Inſtructionem Pontificis quam ſequuntur Legati non eſſe ſententiam definitivam Sedis Apoſtolicæ; Nam quando Patres conſentiunt ſententiæ Pontificis, & formatur nomine Pontificis à Legatis Decretum, tunc incipit eſſe ſententia definitiva & ultima, quam Papa amplius retractare non poteſt, cum ſic certo intelligat ſententiam ſuam eſſe à DEO, ut teſtatur S. Leo *in Epiſt.* 63. *ad Theodoret. Bellarm. de Conc. l.* 2. *c.* 11.

Nec dicas 2. Si Pontifex ipſe non interfuit Concilio, petitur confirmatio ab eo. Ergo ſine illâ Decreta non fuerunt planè certa & firma; Nam aliquando præter Decreta de fide, de quibus data fuit inſtructio, ſtatuuntur quædam ſine expreſſa Pontificis ſententia, & illorum confirmatio petitur, ut in Concilio Chalcedonenſi. Deinde petitur & datur confirmatio, ut omnibus certius conſtet

acta

acta à Legatis verè ex mandato Pontificis facta esſe, quia aliqui de hoc dubitare poſſent, quemadmodum nonnulli dubitarunt in dicto Conc. Chalced. alias non fuiſſet opus confirmatione, prout ipſe Leo Pontifex indicat *in Epiſt. 61. ad Conc. Chalced.* ideoque ante confirmationem Papæ ſtatim fit executio, deponuntur, damnantur &c. refractarii & hæretici ut patet in Conciliis Nicæno, Epheſino & Chalcedonenſi.

2. Concilium generale, cui nec Pontifex per ſe vel Legatos ſuos præſidet, nec confirmationem impertitur, vel quod repugnantibus Legatis Apoſtolicis quippiam definit, errare poteſt, & plura de facto errarunt, ut Antiochenum A. 340. damnando Athanaſium & proclamando hæreſin Arianam; Mediolanenſe plusquam 300. Epiſcoporum tempore Conſtantis declinando ad Arianiſmum; Ariminenſe 600. Epiſcoporum oppugnando Filii conſubſtantialitatem; Epheſinum ſecundum, quod repugnantibus Legatis confirmavit hæreſin Eutychetis. Aliud ſub Conſtantino Copronymo abolendo Chriſti & Sanctorum imagines. Piſanum contra Julium II. Conſtantienſe quo ad aliquam ejus partem, & Baſileenſe deponendo Eugenium IV. & ſtatuen-

tuendo Concilium esse supra Papam. Nec mirum, quia Concilia robur suum acquirere debent à Pontificis auctoritate: *Omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem & facta sunt & robur acceperunt*, inquit Paschalis *de Elect. c. Significasti*, & Conciliorum auctoritas dependet ab auctoritate Papæ tanquam à capite.

3. Concilium generale cui Legati Pontificii interfunt, vel definit aliud cum Legatis contra instructionem Pontificis agentibus, vel cum Legatis qui particularem instructionem non habent; Si primum errare utique potest, quemadmodum erravit Constantinopolitanum tempore Nicolai I. cum Legati contra instructionem Papæ egerunt. *Epist. Nicol. ad Patriarch. & Epis. Orient. Zanoras in vita Michael. Imp.* Ratio est, quia sic pugnant cum suo capite, dum decernunt aliquid cum Legatis contra voluntatem Pontificis agentibus; Neque tunc agunt ut Legati, sed ut privatæ personæ; Et contestatur diserte S. Leo *in Epist. 4. ad Pulcheriam*, & Agatho *in Epist. ad Imp.* se non dare auctoritatem Legatis, nisi agant secundum sibi traditas regulas.

Si autem Concilium definiat aliquid cum

cum Legatis certam instructionem non habentibus, probabilius est errare quoque posse, nec ejus definitionem fidem facere ante confirmationem Pontificis, adeoque nec esse regulam fidei, quia Concilium tale repræsentat solum imperfecte Ecclesiam, cum non repræsentet absolute auctoritatem Capitis; Legati enim in eo casu sunt tanquam Vicarii & Internuncii Pontificis, qui ad ipsum referant, & sententiam expectent eamque exequantur, adeoque non ita repræsentant ipsum Papam, ut quod ipsi faciunt absolute censeatur feciſſe Papa, alias nulla postea requireretur Confirmatio *Bellar. l. 2. de Conc. c.* 11. Hinc est quod talis Concilii auctoritas non sit infallibilis & certa, sed sub opinione solum contrarium sentientium, neque habeat jurisdictionem ad obligandam Ecclesiam ante confirmationem Pontificis. Probabilissimum tamen censet Suaz *dist 5. de fid. Sect. 7. n.* 11. non permissurum DEUM ut tale legitime procedendo erret.

Nec obstat quod Concilia dicant anathema contrarium sentientibus antequam confirmentur; Nam intelligunt solum anathema vim habiturum prius post confirmationem Papæ.

4. Li-

4. Licet vero tanta sit auctoritas Conciliorum in Ecclesia, ut vidimus, major tamen est sacræ Scripturæ, de qua actum est cap. præcedente; *Primò* quia sacra Scriptura, est verbum DEI immediate revelatum, & dictante Spiritu S. exaratum 2. *Pet.* 1. 2. *Timot.* 3. Concilia vero declarant tantum quod sit verbum DEI, & quomodo intelligendum, atque ex eo per discursum deducunt Conclusiones. *Secundo* Scriptura etiam in particularibus, & unum tantum hominem spectantibus errare nequit; At Concilia in judiciis particularibus obnoxia sunt errori. *Tertiò* in Scriptura non tantum sententiæ, sed etiam singula verba ad fidem pertinent; At non in Conciliis. *Quarto* Scriprura non eget approbatione Papæ, ut sit authentica, sed solum ut innotescat ejus auctoritas; Concilia vero etiam generalia hac egent, ut rata sint & obligare possint.

Nec obstat. 1. Quod S. Gregorius dicat *l.* 1. *Epist.* 24. Se venerari quatuor prima Concilia ut quatuor libros Evangeliorum. Nam τὸ *Sicut* non significat ibi æqualitatem, sed similitudinem. Deinde non comparantur Concilia cum Scriptura in omnibus, sed in eorum certitu-

dine tantum, quæ in Scripturis dicuntur & in Conciliis definiuntur, quæ æque sunt certa, quia utraque infallibilis sunt veritatis.

Nec obstat. 1. Quod Gratianus refert. *Can in Canonicis dist.* 19. Epistolas Decretales numerari ab Augustino inter Scripturas sacras, & Can *Decretales dist* 20. dicit Conciliorum Canones ejusdem esse auctoritatis cum Epistolis Decretalibus, ergo numerandi etiam erunt inter Scripturas Canonicas. Nam in primis S. Augustinus non dicit Epistolas decretales esse Scripturam Canonicam, sed judicium de Scripturis sacris pertinere ad Ecclesias Apostolicas. Deinde Gratianus solum dicere intendit, Decreta Pontificum esse Scripturas sacras, ut distinguantur à prophanis, & Canonicas, ut distinguantur à scriptis SS. Patrum, quæ non sunt regulæ, nec ex se habent auctoritatem obligandi, prout infra dicetur. *Cap.* 20. Vid Bellarm *l* 2. *de Conc. c.* 12.

CAPUT XVII.

Series & gesta Conciliorum generalium, quæ partim approbata, partim reprobata sunt.

Duo fuere Concilia Sirmiensia, alterum Catholicorum, alterum Arianorum.

Quini-

Quini-Sextum & Pisanum. Constantiense & Basileense, quidque in iis actum.

SIRMIENSE.

1.

NUmeratur hoc inter Concilia, quæ partim approbata sunt, partim improbata. Verum sciendum duo fuisse Concilia Sirmiensia: Primum Catholicorum, alterum Arianorum Conciliabulum. Concilium Catholicum Sirmii ab Episcopis orthodoxis 300. celebratum fuit A. 349. superstite Constante Principe orthodoxo teste Dionysio Petavio à Leone IV, ut habetur *dist.* 20. *c. de libellis*, & dicitur Catholicum ab Hilario *lib. de Synodo.* Vide historiam tripartitam *l.* 4. *c.* 27. & Apologiam secundam Athanasii. At Conciliabulum Arianorum, in quo Basilius Ancyranus præcipuas partes egit, congregatum est anno Christi 351, aut ut Baronius habet A. 357. Constantio rerum potiente; Reprobatum hoc est & hæreticum dicitur ab Augustino *l.* 3. *in Cresc on*, *c.* 34.

In prima Synodo Catholicorum habita à solis Occidentalibus damnatus est Photinus, & Decretum transmissum ad Orientales. In altera deinde Synodo

Arianorum Orientalium, qui videri Catholici & Religiosi erga Christum effectabant, Photinus pariter exemplo Catholicorum condemnatus est, & compulsus Episcopatu cedere Constantio vim militum suppeditante, quod lato priorum Catholicorum decreto ob resistentiam plebis fieri non potuit. Novam quoque ediderunt fidei formulam Orientales, qua profitebantur Christum Patri secundum substantiam similem, quatenus DEI filius est, sed consubstantialem silebant. Huic formulæ simulque Athanasii damnationi subscripsit Liberius Papa, qui Sirmii tunc pro fide exulabat succumbens illecebris primæ recuperandæ Sedis, quam Felix à Constantio intrursus occupabat. Postea tamen mortuo Felice resipiscens, & ab Arianorum consuetudine resiliens admissus iterum fuit à Clero Romano in legitimum Pontificem.

QUINI-SEXTUM.

2. Concilium Quini-Sextum 284. Episcoporum reputatur etiam inter illa Concilia, quæ partim probata partim reprobata sunt. Convocatum est Constantinopoli in Trullo A. 692, vel ut Petavius 707. Unde Canones illius, qui numeran-

merantur 102, Trullani dicti, sed ex Synodo nullam habent auctoritatem, cum eam nec convocaverit Sergius Papa, qui tum sedebat, nec eidem per se vel per Legatos præsederit, quinimo tanquam erraticam Synodum reprobaverit *Beda l. de sex stat.* Admittuntur tamen aliqui Canones hujus Concilii à Catholicis, quia per se sanæ sunt doctrinæ, prout receptus fuit Canon 82. de pingendis imaginibus ab Adriano Papa, & septima Synodo.

PISANUM.

3. Numeratur quoque hoc Concilium inter illa, quæ partim probantur, partim improbantur, an benè patebit ex dicendis. Congregatum est Pisis à Cardinalibus Gregorii XII. & Benedicti XIII. pro Pontifice se gerentium ad tollendum schisma A. 1409. Interfuerunt huic Concilio Cardinales 23, Patriarchæ 3, Archi-Episcopi & Episcopi 300, Monasteriorum Præfecti 280. aliique Theologi & Legati Principum Europæ. Ibi uterque Pontifex publico omnium decreto Nonis Junii A. 1409. è Pontificatu dejectus, & in ejus locum vigesimo post die electus Petrus Philaretus Cretensis Card. Basilicæ SS. Apostolorum ex Ordine Fratrum minorum, & Alexander

V. appellatus. Dubitatum fuit, an esset Concilium hoc legitimum, quod absque Romani Pontificis auctoritate fuerit Congregatum, ideoque appellatum sit à S. Antonino *part. 3. lib. 22. c. 5. §. 2. & 3.* Conciliabulum. Verum cum Alexander in eo electus inter veros Pontifices computetur, & subinde Alexander VI. se non quintum, sed sextum appellarit, possitque etiam à Cardinalibus tempore Schismatis, quo plures vel duo Pontifices dubii & incerti, etiam ipsis invitis convocari Concilium ad schisma abscindendum, quamvis id præter intentionem non tollatur, videtur omnino legitimum fuisse Concilium.

CONSTANTIENSE.

4. Concilium Constantiense convocatum est pro exstinguendo trium Pontificum Joannis XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. Schismate hæresibusque Joannis Huss & Wicleffi proscribendis. Auspicatum est anno Christi 1414. mense Novembri à Joanne XXIII. Successore Alexandri, procurante & promovente maximè Sigismundo Romanorum & Ungariæ Rege, qui ipse etiam nocte Christi natali ad Concilium accessit, cum plerisque Germaniæ Principibus. Festo SS. omnium, quod in

diem dominicum incidebat, solenniter Joannes Pontifex Missam celebravit, lectoque diplomate de Concilii indictione primam Sessionem in diem 16. ejusdem mensis indixit.

In prima Sessione Pontifex sermonem habuit ad Synodum, & præscriptæ sunt leges in Concilio servandæ.

In 2 Sess. Joannes XXIII. professus est se pacem dare Ecclesiæ paratum per viam simplicis cessionis Papatus, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII, & Angelus de Coriario Gregorius XII. idem facerent.

In 3. Sess. habita sunt consueta Oecumenicarum Synodorum præliminaria.

In Sess. 4. Decretum est Concilium potestatem habere supra Pontificem, cui ipse obedire teneatur, & cogi per pœnas ad hoc posse.

In Sess. 5. Sexto Aprilis declaratum est Joannem illicite Constantia discessisse, & si recuset redire, posse ac debere vinculis innodari, tenerique eum adimplere promissum de resignando Pontificatu. Confirmata est sententia Concilii Romani in Joannem Wicleffum. In causa Joannis Huss constituti sunt quatuor Judices Commissarii.

In Sess. 6. Decretum procuratorium

super

super renuntiatione Papatus faciendum essebonum pro unione Ecclesiæ, teneriq; id Joannem Papam dare, & nominantur Legati, qui id ab eo requirant. Prohibentur famosi libelli & literæ informatoriæ rerum in Concilio gestarum. Decreta est citatio contra Hieronymum Pragensem.

In Sess. 7. A. 1415. 2. Maij contra Hieronymum Pragensem contumacem ulteriora decernuntur. Accusatur iterum fuga Joannis Papæ, & alleganti metum salvus conductus conceditur.

In 8. Sess. 4. Maij damnatæ sunt excerptæ ex Joannis Wicleffi Hæresiarchæ Anglicani libris 45. propositiones. Interea Joannes Papa metuens, ne pro sua pollicitatione compelleretur ad abdicandum se Pontificatu inopinatè re occultè communicata cum Friderico Austriæ Duce Concilio se de nocte subripit, & Schaffusiam aufugit oppidum Friderico subjectum.

In Sess. 9. Accusata est contumacia Joannis Papæ. Mandatum duobus Cardinalibus, & quinque Prælatis, ut eum viva voce extra portam urbis citarent.

In Sess. 10. 14. Maij Joannes Papa declaratus est contumax, & ab omni administratione & functione Ecclesiastica suspensus fuit.

In

In 11. Sess. 15. Maij præsidente Joanne Cardinali Episcopo Ostiensi, qui etiam post discessum Pontificis antea præsederat, ad petitionem Procuratoris Concilii consentientibus quatuor Nationum Italicæ, Germanicæ, Gallicæ & Anglicanæ Syndicis ac Procuratoribus institui cœpit criminalis processus, & inquisitio juridica in acta & vitam Joannis.

In 12. Sess. 29. Maij anno 1415. Joannes XXIII. declaratur contra fidem jurejurando commissam fugæ criminalis convictus; Sacri Concilii Prævaritator & Delusor aliorumque scelerum convictus, reus & confessus. ideoque Summo Pontificatu deponitur nunquam deinceps eligendus, sed sub custodia Sigismundi Regis detinendus. Idemque adversus Gregorium XII. & Benedictum XIII. edicto decernitur sub pœma excommunicationis, ne quis horum aliquem pro Pontifice habeat, aut ut tali obediat. Hanc sui depositionem Joannes ipse comprobat edicto hac de re scripto, Concilio humiliter acquiescens.

In Sess. 13. Præsidente Joanne Ostiensi Cardinali decernitur, communionem sub una specie panis & à jejunis Laicis sumendam esse.

In

In 14. Sess. 4. Julii recipitur abdicatio Gregorii XII. In eadem Sess. decernitur, ut Petrus de Luna qualicunque cedat sub pœna privationis & excommunicationis.

In 15. Sess. 6. Julii damnatur hæresis Wicleffiana, & ejus Assertor Joannes Huss brachio sæculari traditur puniendus, & cum resipiscere nollet per rogum è vivis est sublatus. Prodiit etiam decretum damnans propositum de tyrannicidio.

In 16. Sess. 11. Julii constituti Procuratores, qui Benedictum Antipapam requirant ad cedendum.

In 17. Sess. 15. Julii Rex Sigismundus ad Regem Aragoniæ pro inducendo ad resignandum Benedicto XIII. Antipapa profecturus, dimissus est. Angelus de Coriario, quondam Gregorius XII. non solum in numerum Cardinalium est relatus, verum etiam perpetuus Legatus à Latere in Provincia Marchiæ Anconitanæ est constitutus.

In Sess. 18. 17. Aug. delegata est quatuor Judicibus potestas judicandi exclusivè usque ad sententiam definitivam omnes causas quæ ad Concilium devolvebantur.

In Sess. 19. 23. Sept. Hieronymus de

Praga

Praga hæresin suam voce & scripto ejuravit; Et definitum eos, qui Concilio interessent, omnes beneficiorum fructus justè acquirere.

In Sess. 20. Die 21. Nov. decretum & executum est monitorium contra Fridecum Austriæ Ducem propter occupata bona Ecclesiæ Tridentinæ, approbataque duodecim Capitula Narbonensia, quæ ad extirpationem Schismatis Sigismundus Legatique Constantiensis Concilii & Legati Benedicti XIII. Narbonæ constituerant.

In Sess. 21. Anno 1416. die 30. Maij Hieronymus de Praga iterum audiri in Concilio postulavit, & protestatus est publicè fuisse à se injustè reprobatam Wicleffi & Hussi doctrinam, igitur relapsus traditus est judicio sæculari, à quo vivens flammis est combustus.

In Sess. 22. 15. Octob. admissi Legati Regis Arragoniæ, & impleta sunt ea, quæ in Capitulis Narbonensibus concordata fuerant.

In Sess. 23. 5. Nov. Constituti Judices, qui decernant, qua ratione contra Petrum de Luna procedatur.

In Sess. 24. 20. Nov. lecta & approbata citatio contra Petrum de Luna.

In Sess. 25. 14. Decemb. Administra-

tio

tio vocantis Ecclesiæ Olomensis commendata est Joanni Episcopo Lutomuslensi usq; ad novi Pontificis electionem.

In Sess. 26. Die 24. Decemb. admissus ad Concilium per Legatos Rex Navarræ.

In Sess. 27. anno 1417. die 20. Februar. facta est relatio executi monitorii contra Fridericum Austriæ Ducem, & ob contumaciam ejus ad ulteriora processum.

In Sess. 28. 3. Martii excommunicatus est Fridericus Dux Austriæ.

In Sess. 29. 8. Mart. declaratus est contumax Petrus de Luna & ulteriores contra eum citationes decretæ sunt.

In Sess. 30. 10. Mart. approbatum est factum Regis Aragoniæ, qui se ab Obedientia Petri de Luna subtraxerat.

In Sess. 31. Decretum est monitorium contra Philippum Comitem Virtutum, quod Episcopum Astensem incarcerarit.

In Sess. 32. 1. April. proceditur ad sententiam definitivam adversus Petrum de Luna contumacem.

In Sess. 33. Terminus contradicendi Petro de Luna præfixus est.

In Sess. 34. 5. Junii relictum est usque ad sequentem Sessionem singulorum consultationi, quæ sententia in Petrum de Luna ferenda sit.

In Sess. 35. Joannes Rex Castellæ concordiam

cordiam cum Concilio inivit, hoc Legatos Regis Castellæ à censuris absolvit, quibus eos Petrus de Luna innodaverat.

In Sess. 36. Die 22. Julii lecta est citatio Petri de Luna ad audiendam sententiam privationis & depositionis.

In Sess. 37. 26. Julii deponitur Pontificatu Petrus de Luna omnesque fideles ab ejusdem obedientia absolvuntur.

In Sess. 38. Absolutus Henricus Infans aliique nonnulli à Censuris, quibus eos innodaverat Petrus de Luna.

In Sess. 39. Editum est Synodale decretum de celebrandis Conciliis singulis decenniis. Item decretum de Spoliis & Procuratoribus. Habetur *Tit. de Offic. Ordin. in 6.*

In Sess. 40. 30. Oct. Decretum est ut non obstante absentia Cardinalium Petri Lunensis procedatur ad novi Pontificis electionem; Et quod deinceps electus à duabus partibus Cardinalium verus sit Pontifex. Item statutum est, ut futurus Romanus Pontifex proximè eligendus, ejusque Successores studeant Ecclesiam reformare tam in capite quam in membris, & Romanæ Curiæ defectus emendare.

In Sess. 41. 5. Nov. cui præfuit Joannes Ostiensis Episcopus Cardinalium

Deca-

Decanus, & interfuit Sigismundus Augustus & Cardinales viginti, post sacra solennia & perlectam Clementis VI. Constitutionem de modo & forma Conclavis, nominati sunt Nationum Electores Cardinalibus ista vice duntaxat adjungendi, qui simul omnes Conclave in communibus civitatis ædibus præparatum ingressi sunt die 8. Nov. anno 1417. & tertio post ingressum die S. Martino Turonensi sacro electus in S. Pontificem Odo Columnensis, qui & ipse Martinus V. cognominari voluit.

In Sess. 42. 8. Dec. & sequentibus Martinus Pontifex ipse per se præsedit.

In Sess. 43. Anno 1418. die 21. Mart. Martinus Pontifex sacro approbante Concilio exemptiones Ecclesiarum, Monasteriorum &c. quas indulserant Romani Pontifices post obitum Gregorii XI. rescidit, & Ordinariorum potestati subjecit. Actum quoque est de revocatione unionum & incorporationum tempore obitus Gregori XI. factarum. Statuta etiam est pœna adversus Simoniacas Ordinationes, Electiones & Provisiones quascunque &c. Et editur Constitutio circa dispensationes. Item de decimis & aliis oneribus Ecclesiasticis provisum est. Demum Sessio terminatur

tur editis Constitutionibus de vitæ & honestate Clericorum circa tonsuram, vestes & cultum exteriorem.

In Sess. 44. Martinus de consensu generalis Concilii designat futurum Concilium celebrandum post quinquennium in civitate Papiensi.

In Sess. 45. Die 22. April. dimissum est Concilium, & Pontifex Martinus confirmavit Acta Concilii in materia fidei; Non tamen Decretum Sess. 4. de potestate Concilii supra Pontificem.

Concilium hoc generale fuit, quia licet nemo ex Orientalibus Episcopis interfuerit, vocati tamen sunt, & nemo ex iis excluſus est, atque ipse Pontifex, & quidem per se præsedit. Interfuêre Cardinales 29, Patriarchæ 4, Archi-Episcopi 47, Episcopi 270. Est vero Concilium partim legitimum, partim illegitimum. Illegitimum quo ad priores Sessiones, in quibus definitur Concilium esse supra Papam, licet Constantiense restringat hanc Concilii potestatem ad Schismatis tunc grassantis extirpationem prout ostendimus supra *cap.* 15. §. 13. & in Regali Sacerd. asseritur *l.* 2. §. 5 *n.* 13. quia tamen in iis non legitimè processit, cum una solum tertia pars Ecclesiæ, nimirum Prælati, qui Joanni obediebant, contradi-

tradicentibus cæteris Decreta ista priorum Sessionum formarint, præterquam quod Decretum de Concilii auctoritate supra Papam factum sit nullo prævio examine contra morem aliorum Conciliorum, ideo primæ Sessiones à Papa Martino V. approbatæ non sunt; Cum autem posteriores Sessiones approbarit, quo ad illas Concilium censetur legitimum & approbatum.

BASILEENSE.

5. Indixerat ex præscripto Constantiensis Sess. 39. & postea Senensis Conciliorum Basileæ Concilium universale Martinus V. sed è vivis exempto Successor illius Eugenius Papæ IV, istud ipsum convocavit anno 1431, & Præside Juliano Cæsarino Cardinali Diacono adulta jam æstate celebrari cæptum, sed ob bella & impeditas vias pauci Patres in Sessionibus comparuêre. Cum vero vicina certaque esset spes Græcam cum Latina Ecclesia conjugendi, Eugenius Concilium in Italiam transtulit, nam Græci Basileam & Galliam aversabantur, jussitque Juliano Cardinali Basileensem Conventum dimittere. *Bulla Eugen. Postquam divina Clementia* Hinc ortæ discordiæ; Negabant enim Patres Concilium jam semel

mel legitimè coactum dissolvi posse alio-vè transferri; Ac cum Pontifex postea avocationi insisteret Decretum Constantiense de auctoritate Concilii supra Papam instaurant, illudque de casu Pontificis dubii ad casum Pontificis certi extendunt. Quare Eugenius Decreta Sessionum post avocationem Concilii & discessum Legati Apostolici celebratarum, sæpe ac graviter rescidit damnavitque, ac proinde hoc Concilium maxima ex parte reprobatum est.

Sess. 1. Habita A. 1431. 14. Dec. in Ecclesia primaria Præside Juliano Cardinali Pontificio Legato; In qua lectum Decretum Concilii Constantiensis de celebrandis Conciliis; Item Bullæ Martini V, & Eugenii, factæque sunt Patribus admonitiones. Verum Eugenius 18. Decemb. edito Romæ decreto Concilium illud dissolvit, cui tamen Patres Basileæ congregati non paruerunt.

Sess. 2. 15. Cal. Mart. 1432. præsidente eodem Juliano statuerunt Concilium esse supra Pontificem.

Sess. 3. 29. April. judicatum fuit Eugenii præsentiam necessariam esse, ideoque mittunt ad eum Oratores.

Sess. 4. 14. Cal. Julii inhibetur ne Sede vacante alibi quam in loco Concilii

Pontifex creetur. Ne Pontifex extra locum Concilii Cardinales creet, vel eos avocet.

Sess. 5. In Vigilia S. Laurentii constituti sunt varii Officiales.

Sess. 6. die 6. Sept. accusatur contumacia Eugenii IV. quod Concilii dissolutionem non revocasset.

Sess. 7. die 6. Nov. Terminus intrandi Conclave ad eligendum novum Pontificem prorogatus.

Sess. 8. Iterum cum minis monetur Eugenius, ut dissolutionem Concilii revocet.

Sess. 9. Anno 1433. 2. Jan. rescinduntur acta Eugenii contra Sigismundum, & Wilhelmum Ducem Bavariæ Concilio adhærentes.

Sess. 10. 19. Febr. Accusatur contumacia Eugenii, petiturque, ut tanquam contumax damnetur.

Sess. 11. 27. Febr. Decretum quod Romanus Pontifex per se vel Legatos Conciliis generalibus interesse debeat. Quod Concilium congregare, congregatum dissolvere, aut de loco in locum sine Concilii consensu transferre non possit &c.

Sess. 12. 14. Martii iterum Eugenii con-

contumacia accusatur, quem citant & orant, ut dissolutionem revocet.

Sess. 13. 11. Sept. Post accusatam denuo Eugenii contumaciam quod intra 60 dies Concilio non adhæserit, Promotores Concilii urserunt, in statutas pœnas Pontifex damnetur. Imperator aliique instant pro dilatione 30. dierum. Adsunt Legati Sedis Apostolicæ; Prorogata est dilatio 30. dierum, & Legati dimissi.

Sess. 14. 7. Id. Nov. terminus 60. dierum Eugenio jam pridem concessus prorogatur, eique formula certa adhæsionis à Concilio præscribitur.

Sess. 15. 6. Cal. Decemb. Decretum de Synodis Diœcesanis quot annis celebrandis, & Provincialibus singulis trienniis.

Sess. 16. Recitantur literæ Eugenii, in quibus pacis studio declarat Concilium à prima inchoatione legitimum fuisse, & irritas esse jussit priores literas Concilii dissolutivas. Non tamen approbat omnia gesta legitima esse, imo positivè reprobat ea omnia, quæ contra se & Cardinales &c. decreta erant. Vigesima quarta April. continuata Sessio 16, in qua Decretum, quod Oratores Papæ recenter Roma missi nimirum Nicolaus Card. S. Crucis, Joannes Archi-Episcopus Ta-

rentinus, Petrus Episcopus Paduanus & Ludovicus Abbas, ac ad Concilium admissi, sed non ut Præsides, Constitutionem Concilii Constantiensis, qua Pontifex Concilii potestati coactivè subjicitur, confirmare teneantur.

Sess. 17. 6. Cal. Maij Sigismundus Imp. coronatus cum pluribus Ducibus centumque Prælatis mitras albas in capite gestantibus interfuit. Præsides Concilii admissi quinque Legati Pontificis nimirum quatuor supranominati una cum Juliano Cardinali veteri Legato adempta illis omni jurisdictione coactiva.

Sess. 18. Cui nullus præsedit Apostolicæ Sedis Legatus, id quod in actis Synodi adnotatur, revocatum est adincudem Constantiense decretum de auctoritate Concilii in Pontificem. Nusquam deinde præponitur Sessionibus solenne illud: *Præsidentibus Sedis Apost. Legatis.*

Sess. 19. Id. Sept. Actum de modis unionis inter Græcos & Latinos ineundæ. Decretum deinde contra & circa Judæos convertendos & conversos.

Sess. 20. Anno 1435. 11. Cal. Febr. Decretum contra Clericos & Laicos concubinarios.

Sess. 21. 9. Jun. Annatæ ut Simoniacæ reprehenduntur. Triennalis Beneficii pos-

possessor non turbandus. De horis Canonicis, Distributionibus quotidianis, Decentia in choro; De actibus Capitularibus diebus festis non habendis, nec permittendis jocis Theatralibus festo Innocentium.

Sess. 22. Id. Octob. damnantur hæreses F. Augustini de Roma.

Sess. 23. 8. Cal. April. anno 1436. Sanctiones de Romani Pontificis Electione innovantur. Statutum ne Pontifices Consanguineos usque ad tertium gradum promoveant. De numero Cardinalium.

Sess. 24. 8. Cal. Maij Salvus conductus Græcorum Imperatori, Patriarchæ aliisque septingentis personis offertur. Decreto de Indulgentiis reclamarunt Legati Apostolici, sed non auditi; Interfuerunt solum decem Episcopi, quibus Legati Sedis Apost. cedere debuerunt. *Acta apud Spondan. ad An.* 1436.

Sess. 25. Nonis Maij 1437. de loco futuri Oecumenici Concilii statutum, ut vel Basileæ, vel Avenione, vel in Sabaudia Græci conveniant; Pro illis alendis, Ecclesiasticis exemptis, & non exemptis, Decimæ sunt impositæ. Sanior pars Episcoporum adhæsit Legatis Apost. & Synodus redacta est ad *Factionem ex*

vili plebe constantem, quamvis ducem haberet Card. Arelatensem, & quosdam alios Prælatos. Spond. ad An. 1437. ex Actis Patritianis.

Sess. 26. Pridie Cal. Aug. Eugenius Papa, ob varia quibus insimulabatur una cum Cardinalibus iterum citatur.

Sess. 27. 6. Cal. Oct. Creationem Cardinalium factam irritam declarant, & porro aliam facere interdicunt. Bullam Eugenii, qua Florentiam vel Utinam pro loco Concilii designaverat, nullam decernunt.

Sess. 28. 1. Oct. Eugenius ter alta voce citatus ex ambone declaratus est absens, ideoque contra eum ulterioribus procedendum esse.

Sess. 29. 4. Id. Octob. Præcipitur Eugenio, ut infra quatuor menses sub pœna suspensionis & depositionis conatibus transferendi Concilium desistat.

Sess 30 Cal. Januar. 1438. Decernitur Laicos & Clericos non Sacerdotes non adstringi ad communionem sub utraque specie.

Sess 31. 9. Cal. Febr. Cassantur appellationes ad Sedem Apostolicam. Expectativæ & reservationes particulares annullantur, aliaque circa Beneficia statuun-

tuntur. Pontifex velut contumax ab omni administratione suspenditur.

Sess. 32. Cal. April. Concilium Ferrariæ à Pontifice indictum cum Eugenio excommunicatur.

Sess. 33. Anno 1439. 17. Cal. Jun. tres assertiones ponuntur. 1. Concilium esse supra Papam. 2. Papam non posse Concilium dissolvere, prorogare aut transferre. 3. Hæreticos esse, qui has Assertiones pertinaciter impugnant.

Sess. 34. Cal. Julii Eugenium Pontificem deponunt.

Sess. 35. 6. Id. Julii Decernitur, quod post Sexagesimum depositionis diem ad novi Pontificis Electionem procedi debeat.

Sess. 36. 11. Cal. Octob. declaratur, sententiam, quæ tuetur quod B. Virgo Originali peccato obnoxia non fuerit, piam, sanctam, cultu Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & sanctis literis consonam, ideoque tenendam esse. Ut festum Conceptionis B. Virginis 6. Id. Decemb. celebretur; Indulgentiæ in eum finem promulgantur.

Sess. 37. Cal. Nov. Statutum ne Sede vacante aliter quam per Concilium Pontifex eligatur, habeaturque ille Pontifex, quem duæ partes Suffragantium elege-

elegerint, aliaque circa Electores Electumque decernuntur.

Sess 38. 3. Cal. Nov. Carpuntur & improbantur acta Eugenii. Ad futuram novi Pontificis Electionem constitutæ sunt 32. diversarum nationum Personæ.

Sess. 39. 15. Cal. Decemb Eligunt septimo die quintoque scrutinio Amadeum Ducem Sabaudiæ in Antipapam.

Sess. 40. Anno 1440. 4 Cal. Martii mittitur Ludovicus Cardinalis S. Cæciliæ aliique Episcopi & Abbates cum Joanne Comite in Thirstein ad electum Amadeum, insignia Pontificatus illi offerunt, cui nomen Felicis V. imponitur, eique soli Obedientiam præstandam esse decernitur.

Sess 41. 10. Cal. Aug. Libelli famosi contra Felicem V. cæterosque hujus Concilii Patres prohibentur & damnantur.

Sess. 42 Nonis Aug. decernitur, ut decimæ omnium Ecclesiasticorum proventuum Felici Papæ ejusque Collectoribus persolvantur.

Sess. 43. Anno 1441. Cal. Julii constituitur, ut festum Visitationis B. Virginis celebretur 6. Nonas Julii, & conceduntur eo die Indulgentiæ.

Sess. 44. 5. Id. Aug mandatum ut spoliati ab Eugenio Beneficiis, in possessionem restituantur.

Sess.

Sess. 45. & ult. Anno 1442. 17. Cal. Jun. nominatur pro loco futuri Concilii generalis post triennium celebrandi Lugdunum Urbs Galliæ. Pro continuatione Concilii nominatur civitas Lausanna Provinciæ Bisuntinæ. Sed ibi nil aliud factum, quam quod intercessione Friderici Imperatoris Felix V. Antipapa resignaverit. Quo facto Nicolaus V. Eugenii IV. Successor Concordiæ causa confirmavit acta quædam Basileensia ad Beneficia Ecclesiastica & Censuras pertinentia, non vero cætera. Et non tantum Eugenius, sed & Leo X. deinde in Concilio Lateran. Sess. 11. Decreta Basileensia damnarunt, ut nullum ex auctoritate hujus Concilii robur habeant.

CAPUT XVIII.

De Conciliis Particularibus.

Nationalia convocat Primas *seu* Patriarcha, *etiam Legatus Apostolicus. Provincialia Metropolitanus, vel Episcopus antiquior. Quoties sint celebranda, & qui ad ea venire teneantur. Quis Sessionis Ordo. Qui votum in iis habeant, & quid in iisdem tractetur. Decreta quando publicanda, & quos obligent.*

ligent. Synodus Diœcesana quando & à quo convocanda; Qui ad eam vocandi sint, & quæ in ea tractentur. Decreta Synodalia an obligent. Concilia particularia licet errare possint in fide, magnam tamen habent in Ecclesia auctoritatem.

1.

Concilia particularia convocantur non ad definienda dogmata fidei, sed ad morum correctionem. *Can.* 4. *dist.* 18. & si quid definiant roborari debet à sede Apostolica. *Can.* 6. *dist.* 17. Alia sunt Nationalia, alia Provincialia, alia Diœcesana.

Nationalia dicta sunt olim quandoque Diœcesana *l.* 21. C. *de Episc. & Cler.* quia apud antiquos Diœcesis continebat plures Provincias. In Concilio Antiocheno appellata sunt Synodi majores, quia sunt illa, quæ Primas seu Patriarcha convocat celebratque cum Archi-Episcopis & Episcopis unius alicujus regni, nationis aut plurium Provinciarum. Cujusmodi sunt multa Romana à Papa cum solis Episcopis Italiæ celebrata. *Turrerec.* 3. *de Sum. Eccles. c.* 3. quamvis hæc nonnulli revocent ad Provincialia *Canis. Sum. Jur. Can. l.* 1. *tit.* 2. *in notis.* Legatus quoque

que Apostolicus Synodum in Provincia sua convocare potest, cum necessarium esse judicaverit. Cogenda olim fuit Synodus Nationalis semel in anno *Can.* 41. *Arab. Conc. Nicæn.* Si quis Metropolitanus ad Synodum Patriarchæ vocatus ire neglexerit, primo tempore segregetur, & durante contumacia deponatur. *Synodus* 8. *c.* 17.

2. Provincialia convocat Metropolitanus *c.* 13. *& seqq. dist.* 18. Etiam sine auctoritate Primatis seu Patriarchæ *in c.* 2. *dist.* 18. *Præpos. n.* 2. non autem sine auctoritate ipsius Metropolitani cogenda est. *Can.* 35. *Arab. Conc. Nicæni.* Metropolitanò vero legitimè impedito Concilium ab alio antiquiore Provinciæ Episcopo convocari debet *Trid. Sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* non exempto, licet talis antiquior sit Comprovincialibus. *Fagn. in c.* 25. *de accus. n.* 18. Idem observandum est Sede Metropolitana vacante. *Præpos. in c.* 2. *dist.* 18. *not.* 3. Convocandum autem est Concilium ad locum opportunum, nec valde remotum, ne vocati subeant gravia discrimina itinerum, & nimirum defatigentur. *c.* 7. *dist.* 18. *& ibi Præp. n.* 1. Electio loci spectat ad Archi-Episcopum, cessantibus tamen justis impedimentis & accedentibus commoditatibus necessa-

riis

riis Ecclesia Metropolitana non est relinquenda. *S. Cong. in Sess. 24. de reform. c. 2. §. Synodum.*

Determinandus quoque est certus dies, quo Synodus inchoanda sit, ut pridie adesse possint vocati *Conc. Tolet. IV.* Olim convocari debebant hæc Concilia bis in anno *cap. 2. 6. aliisque dist. 8.* Primum quarta septimana Pentecostes vel appetente Quadragesima. Secundum 12. die mensis Hyperberetæi id est Octobris *Can. 36. apost. Can. 20. Syn. Antioch. & Can. 5. Nicæn. primæ. c. 3. dist. 8.* Idibus Octobris *Can. 4. ejusdem dist,* Sed postmodum ob itinerum molestias aliasque ob causas decretum est, ut semel in anno habeantur. *c. 7. dist. 18.* Demum in Concilio quinto Lateranensi generali statutum, ut quolibet saltem triennio celebrentur. *Sess. 10. Const. 2.* Quod confirmat Tridentinum ordinatque ut fiant post octavam Paschæ, seu alio commodiore tempore *Sess. 24. c. 2. de reform.* Ex decreto tamen S. Congregationis Concilii annuente Pontifice concessum Archi-Episcopo de Lima, ut in Indiis ob nimiam Suffraganeorum distantiam singulis sexenniis Concilium convocetur. *In Sess. 24. de reform. c. 2. Fagn. inc. de accus. n 23.*

3. Concilio Provinciali interesse te-

nen-

nentur Metropolitanus & Episcopi Suffraganei seu Comprovinciales omnes. *c.* 25. *de accus. & c.* 7. 10. *&* 13. *dist.* 18. Exceptis iis quibus cum imminenti periculo transfretandum esset. *Jo. Franc. Leo c.* 8. & exemptis cum Abbatibus eorum; Atque iis etiam qui de jure vel consuetudine interesse non debent. *S. Cong. Conc.* Cæteri vero impediti excusare se & mittere debent Procuratores. *c.* 10. *dist.* 18. qui Doctores esse debent habiles & discreti. *Nicolius in Flosc. V. Concilium n.* 5. & si vocati, qui interesse debent, venire negligant, variis pœnis subjiciuntur; Suspenduntur à Communione *c.* 1. *Caus.* 5. *q.* 3. Privantur communione fratrum usque ad futurum Concilium. *c.* 14. *dist.* 18. atque etiam charitate eorundem & Ecclesiæ communione. *c.* 13. *dist.* 18. & propriæ tantum Ecclesiæ communione contenti esse debent *c.* 10. *dist.* 18. proindeque non sunt excommunicati, sed tantum non veniunt ad negotia cæterorum Episcoporum v. g. ad Consecrandum Episcopum & similia. Episcopus vero qui nulli immediate subditur, eligere debet vicinum Metropolitanum, in cujus Synodo cum aliis intersit. *Trid. Sess.* 24. *de refor c.* 2. hoc tamen locum non habet in Episcopis, qui sunt Provincia

Roma-

Romana inter Capuanam Provinciam & Pisanam *c. 5. de offic. Vicar. S. Congreg. Conc.*

4. Capitula Cathedralium Ecclesiarum invitanda sunt. *Declar. Conc.* nimirum de honestate, non necessitate, præterquam in duobus casibus, si nimirum eorum consilium sit necessarium, vel si de factis eorum agatur, sed tunc solum consultivum habent votum, non decisivum. *Fagn. in c. fin. de his quæ fiunt à Præl.* Capitula quoque Collegiatarum quasi Episcopalem jurisdictionem habentia vocanda sunt. *Declar. Card. Cong. S. Conc.* Non autem cætera, neque alii Clerici inferiores, cum de his disponat Episcopus & Capitulum. *c. 4. de his quæ fiunt à Præl.* Laici vero hujusmodi Conciliis interesse non debent. *Glos. V. Contingere in c. fin. de his quæ fiunt à Præl.* nisi specialiter invitentur & non sint excommunicati. *c. 22. dist. 63. Nicolins l. c.* Vel tracterur de fide, quæ omnibus communis est. *c. 2. & 4. dist. 96.* de qua tamen in generalibus solum Conciliis tractari solet. *Abb. in cit. c. fin. n. 5.* Vel agatur de matrimonio. *c. 2. caus. 35. q. 5.* Sed tunc admittuntur non ad judicandum vel docendum. *c. 2. dist. 62.* quia Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent. *c. 2. de Judiciis.* Sed tantum ad audiendum vel consulendum, si sint juris Civi-

Civilis vel Canonici periti. *c. Ad Apostolicæ de re judic. in 6. S. Congr.* Admitti vero debent ad justitiam petendam vel defendendam. *c. 13. de judic. & c. 1. de Sponſ.* Sed cum tractatur de Ecclesiasticis negotiis & Clericorum correctionibus excludendi sunt. *arg. c. 36. de Elect. & Extrav. Non debet Pontif. VIII.*

Legati regii sub nullo titulo admittendi sunt ad Concilia provincialia, ut libertas maneat Ecclesiasticis decernendi de rebus ad ipsos pertinentibus. *arg. c. 43. de Elect.* Reges vero eorum vè Officiales non nisi in certis Jure expressis casibus iis interesse possunt. *c. 4. dist. 96. & c. 2. dist. 63.* prout nonnunquam interfuerunt, vel ut reciperent Patres, vel ut eos tuerentur.

5. In Sessionibus primatum obtinet Metropolitanus. *c. 1. dist. 18. Secundò* Episcopi, qui secundum tempus Ordinationis suæ sedere, subscribere aliasque prærogativas habere debent. *c. fin. dist. 17.* Non secundum dignitatem & præeminentiam Ecclesiarum. *S. Cong. Conc. in c. 2. Sess. 14. de reform. Tertio* Capitulum Cathedrale Collegialiter comparens, tum enim Canonici illi præferendi sunt Abbatibus, cum eo casu repræsentent Ecclesiam

cleſiam poſt Epiſcopum. *Quarto* Abbates habentes privilegium mitræ & baculi, hi vero, ſi exempti ſint uti poſſunt mitris auriphriſiatis, aut gemmas habentibus, ſi non ſint exempti, ſimplicibus tantummodo aliisque ac planis. *c. ut Apoſtolicæ 6. de priv. in 6.* *Quinto* Procuratores Epiſcoporum abſentium. *Sexto* Procuratores Abbatum abſentium. *Septimo* Collegiatæ. *Octavo* Plebani ſeu Archi-Presbyteri. *Nono* Parochi. *Jo. Franc. Leo.* Quando vero Dignitates & Canonici Cathedralium non Collegialiter comparent præcedunt illos: *Primo* Abbates habentes uſum mitræ & baculi *Navar. Con. 2. de major. & obed.* qui etiam præcedunt Abbates hoc privilegium non habentes. *Secundò* Abbates Commendatarii, omnesque Abbates tam ſæculares quam Regulares, qui jurisdictionem habent in foro contentioſo in ſubditos, quia hi Prælati Eccleſiæ dicuntur *Gloſſa & Abbas in c Cum Eccleſiarum n. 10. de Offic. Ordin. c. Statutum de Elect. in 6.* *Tertio* Protonotarii Apoſtolici qui ſunt Prælati & Rochetum deferre poſſunt. *Caſſander in Catal. glor. mund. part. 4. 4. conſid. 29.* Si tamen in habitu incedant, aut alias ſint perſonæ notæ.

notæ. *Quartò* si occasio ferat præcedunt quoque Generales Ordinum. *Cærem. Episc. l. 1. c. 23.*

6. Votum in Concilio Provinciali decisivum habent tantum Metropolitanus & Episcopi secundum communem, & Episcoporum Procuratorus si Concilio placuerit. *S. Cong. Conc.* Abbates vero, Commendatarii, Capitulares & Capitulorum deputati; Laici item, qui admittuntur, vocem habent duntaxat Consultativam, ita communiter *DD. in c. 29. de Præb. & S. Cong. Card.* Nec potest Metropolitanus Episcopis invitis dare votum decisivum Abbati etiam habenti usum Mitræ & Baculi, *S. Cong. Conc. 15. Aug. 1597. apud Nicolium in Flosc. V. Concilium.* Votum verò dant primo loco, qui inferioris sunt ordinis *Fagn. in c. Sicut olim de accus.* & majora vota concludunt. *Conc. Tolet. 8. c. 12.* Si Episcopi convenire non non possint, dijudicet Metropolitanus; Si non acquiescant judicatis, Primas decidat. *c. 2. caus. 6. q. 4.* Si vero Metropolitanus solus dissentiat ab omnibus Co-Episcopis, standum potius esse sententiæ Episcoporum quam Metropolitani censuit S. Congregatio apud Fagn. *c. Sicut olim de accus. n. 34.*

7. Tractanda sunt in Synodo 1. Decreta Concilii Tridentini recipienda sunt & perlegenda ; Hæreses Anathematizandæ & fidei professio facienda. *Trid. Sess. 25. c. 2.* 2. Excessus corrigendi & controversiæ componendæ *c. 2. dist. 18.* Querelæ etiam contra Metropolitanum recipiendæ & terminandæ, sed si graviores sint ad Papam deferendæ. *Ibid. Nicolius l. c.* Si causæ expediri non possint Judicibus deputatis committendæ. *Trid. Sess. 24. c. 5. in fin.* Contra Episcopos etiam ex officio inquirendum. *Trid. Sess. 24. c. 1.* De gravioribus tamen causis eorum non cognoscendum, sed summariæ informationes ad Papam transmittendæ sunt. *cit. Sess. 24. c. 5.* Concilium etiam Provinciale statuere nil potest in Regulares exemptos. *Nicolius. l. c.* Negotia indefinita non sunt committenda extra Synodum nisi in casibus in jure & Tridentino expressis. Nullus è Concilio discedere potest, nisi eo completo sub pœna excommunicationis. *c. 12. dist. 18.* Neque Archi-Episcopus Concilium dissolvere potest nisi de Consilio & consensu Coëpiscoporum. S. cong. Conc. apud *Fagn. l. c. n. 98.* Finito Concilio Decreta publicari non debent inconsulto Romano Pontifice s. *Cong. Conc.* ad quem cum literis Metropolitani vel totius

totius Synodi mittenda sunt. *Fagn. in c. Sicut olim de accus. n.* 95. à quo si confirmata sint, tenentur ea Episcopi in Ecclesiis suis publicare intra sex menses. *c. ult. dist.* 18.

Subditi vero Episcoporum obligantur omnes ad observationem Decretorum Concilii Provincialis etiam exempti, in casibus in quibus à jure communi & Concilio Tridentino aut Concilio Provinciali in ipsos potestas concessa est. *S Congr. Conc. in cit. c.* 2 *Sess.* 14. *de reform.* Ad observantiam Decretorum illius Concilii Provincialis ad quod eorum Episcopus accessit, tenentur quoque Capitula Cathedralia, licet sint exempta; Et Episcopi obligantur ad eorundem observantiam, licet intra decennium non fuerint observata. *Jo Franc. Leo c.* 11.

8. Diœcesana seu Episcopalia, quæ nonnunquam Concilia. *c.* 2. *dist.* 38. magis propriè & frequentius Synodi, id est, cœtus *c.* 1. *dist* 15 appellantur. *c.* 25. *de accus. c.* 16. *dist.* 18. & alibi, sunt illa quæ Episcopus, vel illo impedito Vicarius ejus, aut Procurator cum sufficiente mandato *c.* 9. *dist.* 18. *S. Cong. conc.* vel Sede vacante Capitulum *Honor. ab Axel. de const. n.* 7. cum ejusdem Diœcesis Abbatibus, aliisque Prælatis, Parochis & Cle-

ricis celebrat. *c.* 2. *dist.* 38. *can.* 16. *caus.* 18. *q.* 2. Potest vero Episcopus congregare Synodum sine Consilio Capituli 26. Febr. 1639. Fulginaten. ad 2. apud Nicolium *in Flosc. V. synodus.* Si Vicarius Apostolicus velit celebrare Synodum, debet id facere sine interventu Episcopi; Secus si Vicarius sit Generalis, licet Roma missus; *Nicolius ibid.*

Hæ Synodi quot annis convocari debent. *Trident. Sess.* 24. *c.* 2. à quovis Episcopo separatim, non conjunctim à Suffraganeis Archi-Episcoporum. *S. cong. Conc.* quamvis aliqui ob formidinem Dominorum Acatholicorum nec venturi essent, nec missuri excusationes neque ullum ante celebratum esset Concilium Provinciale. S. *cong. apud Fagn. in c.* 28. *de accus.* Si Episcopi in convocanda Synodo negligentes fuerint, pœnas à sacris Canonibus institutas incurrant. *Trident. Sess.* 24. *de reform. c.* 2. Cum vero dubitaretur an Episcopus negligens in congreganda Synodo incurrat pœnam suspensionis duorum mensium juxta *c. fin. dist.* 8. respondit S. Congregatio ad tollendum scrupulum à tali Episcopo petendam esse absolutionem à Papa, & monendum ut deinceps observanda servet. *cit. c. fin.* Incurrit vero talis Episcopus pœnam suspensionis

ab

ab officio, de qua *c.* 25. *de accus.* ex sententia Judicis, ut declaravit eadem S. Congregatio apud Fagn. *in cit. c.* 28. *n.* 109. Si vero Episcopus non adeat Synodum Diœcesanam excommunicetur, & in sequenti Synodo absolvatur. *conc. Aurelion.* 2. *c.* 19. nisi gravi necessitate venire prohibeatur, quo casu pro se Legatum mittat. *c.* 9. *dist.* 18.

9. Ad Synodum vocandi sunt, qui venire tenentur, Abbates, Parochi, Presbyteri omnisque Clerus totius Diœcesis. *c. fin. dist.* 18. Etiam exempti, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur. *Trid. Sess.* 24. *de reform. c.* 2. Simplices tamen Sacerdotes & Clerici Beneficiati non admittuntur ad vota pro confirmatione Judicum, & Examinatorum Synodalium. *Nicolius l. c.* Reliqui ergo Regulares subditi Capitulis generalibus, & non habentes curam animarum convenire ad Synodum Diœcesanam non tenentur *Barb. ad cit. c.* 2. *Sess.* 27. *n.* 23. *Fagn. ad c. quod super his. n.* 8. *de major. & obed.* Nunc tamen Abbates, Priores, Guardiani & alii Superiores locales parvorum Conventuum, qui ex vi Decreti Innocentii X. *ut in parvis* dati die 10. Febr. 1654. subsunt jurisdictioni Ordinarii ex Decre-

to Alexandri VII. dato 30. Mart. 1661, quod recitat Fagnanus *ad c. Quando n. 64. de Offic. Ord.* tenentur vocati ab Episcopo convenire ad Synodum Diœcesanam; Atque etiam illi qui Capitulis generalibus subduntur, si Parochias vel alias Ecclesias sæculares licet solum annexas administrent. *Trid. l. c.* Vel sub alio quocunque nomine curam animarum exerceant. *Barb ad dict. c. 2. Sess 24. n. 26. Fran. ad c. Quod super de major. & obed.* etiamsi in alia Diœcesi habitent *Cong. Conc.* Si tamen Abbas, aut Monachus cujus Monasterio vel Ecclesiæ incumbit cura animarum eam exerceat per Vicarium sæcularem ab Episcopo approbatum, non tenetur ipse accedere, sed sufficit si mittat Vicarium, *S. Cong. Conc. apud Fagn. l. c. n. 7.*

Rectores qui nullius sunt Diœcesis venire etiam tenentur ad Synodum vicinioris Episcopi, qui ex Decreto Trid. *Sess. 24. de reform.* potest illos visitare. *S. Cong conc.* Venire quoque debent Laici si ex causa per Episcopum vocentur. Fratres quoque Cappellanos S. Joannis Hierosol. curam habentes animarum ad Synodum accedere debere decisum esse à S. Congr. tradit Fagnanus *l. c. n. 9.* Non vero tenentur venire, qui habent speciale

ciale privilegium exemptionis, neque exempti actu exercentes utramque jurisdictionem spiritualem & temporalem in Parochos juxta *c.* 11. *Sess.* 25. *de Regularibus.* prout declaravit sacra Congregatio.

Jam vero si vocati ad Synodum etiam unica solum vocatione *Glos. V. Præceptione regia in c.* 13. *dist.* 18. venire neglexerint, Fratrum communione privatur, nec recipiuntur nisi in sequenti Synodo fuerint absoluti. *c.* 12. *dist.* 18. Imo Abbates & Religiosi, qui Capitulis generalibus non subduntur. *S. Cong. Conc.* compelli possunt ut Synodo adsint. *c.* 9. *de major. & obed.* nisi Episcopus in citatione expresserit causam illicitam, aut constet statuendum esse aliquid, quod Canonicis obviat institutis. Presbyteri ad Synodum venientes non tenentur deferre Elogias. *c.* 8. *dist.* 18. id est munera, quæ deferunt subditi suis Prælatis. *Glos. ibid. V. Elogiis*, sed ex officio accedentes sustentari debent à suis Ecclesiis, quæ ad hoc compelli possunt. *Conc. Colon.* 3. *tit de Synod. c.* 1. Canonici tamen euntes ad Synodum propriis vivere sumptibus debent, non gravare Capitulum. *Nicolius in Flosc. V. Synodus ex variis Decret. Congreg.* Præsentes eodem, quo supra in Concilio Provinciali ordine sedent.

10. In

10. In Synodo Diœcesana hæc agenda sunt. 1. Notificant Episcopi suis Ecclesiis statuta Conciliorum Provincialium sub pœna suspensionis ab officio duobus mensibus. *c. fin. dist.* 18. 2. Possunt condere Canones & constitutiones de negotiis minoris momenti. *Hon. ab Axel. de const. n.* 7. etiam absque consensu Capituli & Cleri, licet requirendum sit ejus Concilium, præterquam in casibus à jure expressis. *Jo. Franc. Leop.* 1. *c.* 9. *n.* 15. 3. Proponuntur ab Episcopo minimum sex Examinatores approbandi à Synodo pro Parochiis vacantibus, ex quibus tres eligit Episcopus, qui cum eo examen perficiant. *Trid. Sess.* 24. *c.* 18. Approbari vero possunt à Synodo tam per vota secreta, quam per aperta. Examinatorum Synodalium officium annecti non potest alicui Dignitati, puta Archi-Diaconi, Primicerii, ita ut electio transeat ad Successores: quia censetur electa industria personæ. *Nicolius in Flosc. V. Synodus.* Horum officium non expirat per mortem Episcopi, sed durat donec alii in Synodo deputati fuerint *S. Cong. Conc.* Ideoque nec Episcopus nec Capitulum alios creare potest. *Garc. de Benef. p.* 9. *c. n.* 81. Si tamen elapso anno aliqui ex eis mortui fuerint, omnium officium expirat. *S. Cong. Conc.*

Conc. Quod si non extet congruus Examinatorum numerus, concessit Pontifex 12. Aug. 1606. Congregationi Concilii facultatem, ut possit Episcopis dare potestatem deligendi alios extra Synodum, donec Synodus habeatur. *Nicolius in Flosc. V. Synodus.* 4. Designantur quædam personæ qualificatæ coram quibus, ac eorum substitutis causæ Ecclesiasticæ spirituales terminentur; Si ex designatis aliquem mori contigerit, aut ob diuturnam absentiam, quæ æquiparatur morti S. *Cong. Conc.* adesse non possit, substituat Ordinarius loci cum Consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Synodum. *Trid. Sess* 25. *c.* 10. Si quis Canonicus Cathedralis Ecclesiæ designatus sit Judex, isque resignet Canonicatum manet tamen in officio Judicis Synodalis quo ad causas cœptas eique commissas. *Nicolius, l. c.* 5. Promoti ad Beneficia in prima Synodo, quæ celebrabitur cæterique in Synodo Diœcesana convenientes professionem fidei emittant. *Trid. l. c. Cap.* 2.

11. Statuta Synodalia priusquam usu recipiantur, ostendi debent Capitulo aliisque quorum interest, & præfigi eis terminus duorum mensium, ut gravati recurrere possint ad Episcopum vel ad

Sedem

Sedem Apostolicam. Non tamen tenetur Episcopus ostendere Decreta Civitati aut Laicis antequam promulgentur vel imprimantur. *Nicolius l. c.* Hæc vero non obligant supina ignorantia laborantes, quare publicari ab Episcopo debent. *Piasec. in prax. Episc. p. 2. c. 2. a. 1.* per Decanos & Archi-Diaconos. *Conc. Colon. 2. p. 14. c. 18.* etiam absque prævia recognitione & approbatione S. Pontificis, dummodo nihil contineant contra universales Canones, aut Ecclesiæ consuetudinem; Si tamen ea approbat Papa ob majorem solum securitatem, poterit nihilominus Synodus Diœcesana vel Episcopus in iis dispensare, vel etiam plane abrogare, nisi sit approbatio substantialis, ita ut Papa velit ea in tota Ecclesia observari. *Laym. l. 1. c. 2. 4. c. 7. §. 1.* Dum autem Romæ revidentur Decreta Synodalia, Episcopus non procedat ad eorum executionem. *Nicolius. l. c.* Non obligant etiam decreta Diœcesana ultra Diœcesin, quia qui illa formarunt, non habuerunt jurisdictionem extra Diœcesin, sicuti non obligant Provincialia ultra terminos Provinciæ, adeoque licet ex his quædam à Gratiano in Decreto allegentur, hæc tamen non sunt universaliter obligatoria, nisi auctoritate Papæ

pæ ad omnes extendantur ex communi DD. sententia, tunc enim sicuti illa quæ in Decretales relata sunt, omnes Christi fideles obligant, non secus ac si desumpta essent ex Conciliis Oecumenicis, quibus ipse Pontifex præsidet, juxta illud Justiniani Imp. *Omnia nostra facimus quibus auctoritatem nostram impertimus. l.* 1. C. *de jur. vet. enucl.* Cum impressa sunt Decreta non licet Episcopis Clericos mulctis cogere ad ea comparanda. *Nicolius l. c.*

12. Cæterum Concilia particularia, seu Nationalia illa sint, seu Provincialia & Diœcesana à Papa non confirmata non sunt certa regula fidei, sed errare in ea possunt, atque de facto errarunt, ut Carthaginense sub Cypriano Nationale 85. Episcoporum, idque traditur generaliter in quinta Synodo Romana sub Symmacho: *Concilia Provincialia, quia præsentiam Papæ non habent, valetudinem perdidisse.* Nam ejusmodi Concilia non repræsentant universalem Ecclesiam cum suo capite, pro quo Christus oravit, ut non deficeret fides ejus; Nec obligare possunt ad credendum ea quæ docent, cum non habeant jurisdictionem in universam Ecclesiam.

Nec

Nec obstat. 1. *Quod c. ad abolendam de Hæreticis*, excommunicantur, qui hæretici judicantur ab Ecclesia Romana, vel à Concilio Provinciali aut Diœcesano. Nam licet Concilium particulare non possit dogmata fidei constituere, potest tamen examinare & judicare, sicuti judicant Inquisitores, an aliquis in hæresin manifestam inciderit; Quod quidem judicium non est infallibile, sufficit tamen ad ferendam excommunicationem, & ad cogendos subditos ut acquiescant, donec aliud non statuerit Sedes Apostolica vel Concilium universale. Habent tamen magnam auctoritatem Concilia particularia, licet non expressè confirmata, & argumentum faciunt adeo probabile, ut ordinarie temerarium foret illis contradicere; Si enim aliqui SS. Patres idem sentientes argumentum efficiunt probabile, efficient id certe 50. aut 60. Episcopi in eo, quod invocato Spiritu sancto communi sententia statuerint.

Nec dicas. 2. Promissam quoque esse assistentiam Conciliis particularibus, ut non errent *Matt.* 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nam promittitur ibi assisten-

stentia & auxilium unicuique Congregationi juxta capacitatem ejus & exigentiam negotii, cum promittatur Congregatis in nomine suo, hoc est per potestatem ab ipso datam. Jam vero non permittit capacitas uniuscujusque Congregationis, nec quævis res postulat, ut cum decernitur sit de fide, ideoque nec potestas ab ipso data est, ut quæ in particularibus Conciliis aut Congregationibus statuuntur de fide sint, & haberi debeant.

CAPUT XIX.

De Constitutionibus Summorum Pontificum, Bullario, & Responsis particularibus Sedis Apostolicæ.

An Constitutiones Pontificiæ non insertæ Corpori Juris jus faciant universale? Quam auctoritatem habeat Bullarium. An Pontifex condere possit Leges universales sine consensu Cardinalium? An responsa particularia Pontificum faciant jus?

1.

TErtium fontem Juris Canonici diximus esse Constitutiones Pontificias. De

De his quæritur : An constituant jus universale, quo omnes in orbe terrarum fideles obligentur. Constitutiones Apostolicæ vel insertæ sunt Corpori Juris à Pontificibus approbato, vel in eo non comprehenduntur. Si insertæ sint, agemus de illis infra. *cap.* 23. Cum exponemus, quam liber Decretalium auctoritatem habeat ; Si in Jure Canonico non comprehendantur, vel producuntur in forma authentica, prout immediate promanarunt à Summo Pontifice, vel earum copiæ, quarum plurimæ collectæ sunt in libro septimo Decretalium, de quo infra *cap. ult.* & in Bullario continentur, de cujus auctoritate nunc aliquid subjiciemus.

Bullarium Romanum complectitur Bullas (sic dictas secundum aliquos, quia instar bullarum, quæ fiunt ex aqua brevissimæ sunt vitæ, vel quia dependent ex literis, ut bullæ aureæ olim ex pectore prætextatorum, sed verius teste Macrob. παρατῆς βελῆς id est à Concilio & voluntate, quod prævio Consilio & matura deliberatione, proprio motu & voluntate concessæ sint hinc βελλεύειν Bullare seu signare, ἀβέλλωτον quod sine Bulla vel sigillo est. *Meurs. Lexic. Græco-Barbar.*) & Constitutiones Summorum

Pon-

Pontificum secundum ordinem, quo vixerunt. Primum collectæ sunt & in lucem editæ à Laërtio Cherubino Jurisconsulto Romano. Deinde auctiore numero ab Angelo Maria Cherubino ejus filio Monacho Cassinensi congestæ & typis vulgatæ primum tempore Urbani VIII; Deinde sub Innocentio X, cujus Bullas quoq; complectitur usque ad annum 1654. Lugduni quatuor Tomis impressæ sunt. Demum additus est Tomus quintus Lugduni anno 1673. impressus continens Pontificum Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII, Clementis IX & X, Constitutiones in unum opus à RR. PP. Angelo à Lantusca, & Joanne Paulo à Roma Ordinis Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ collectas.

Verum cum Bullarium istud à nullo Pontifice reperiatur expresse approbatum, nec ullum extet Decretum de eo recipiendo, neque constet an omnes Bullæ in eo contentæ rite sint promulgatæ, aut cum suis Originalibus exactè conveniant, ideo nisi in authentica forma producantur auctoritatem legis non obtinebunt, & sententia contra illas lata irrita non erit, neque in judicio illi fides habebitur. *Tuschus lit. E. Concl. 679. n. 1. & 2.* quia sic præsumitur probabilis igno-

ignorantia talis Bullæ extravagantis, vel saltem non fuisse usu receptam. Extravagantes vero, quæ usu receptæ non sunt, non obligant. *c. 1. de Treg. & pac.* estque communis, ideoque ut tales fidem faciant in Judicio, produci debent extra Curiam sub plumbo, in Curia vero sub sigillo Cancellarii, si descriptæ sint in libro Cancellariæ, vel sub Sigillo Camerarii Auditoris, si in Camera Apostolica asservantur. Si vero asserventur in Archivo publico præsumuntur usu receptæ *Tuschus lit. E. Concl.* 680. Et sufficientem habent publicationem. *Auth. ad hæc C de fide instrum.* Cum talis asservatio auctoritate publica stabilita receptionem usumque illius juris denotet, nisi contrarium probetur. Poterit tamen Judex, si Bullæ juri communi non adversentur, secundum eas sententiam ferre, quandoquidem eo Casu non tam ipsius Bullæ, quam juris communis auctoritate Judex procedere videtur.

Nullam vero auctoritatem Canonicam confert Bullario, quod evulgatum sit primò ductu & auspicio Sixti V. ac deinde Urbanus VIII., cui id auctius dedicatum est, privilegium libris præfixum concesserit Bibliopolæ, ne quis id opus sine ejus licentia imprimat aut vendat,

quia

quia cæteroquin omnes libri, qui aut hortatu alicujus Pontificis Romani conscribuntur, aut eidem cum simili privilegio Typographico dedicantur, Libri Canonici dicendi forent, quod nemo admiserit. Accedit quod Bullæ, quæ extra corpus Juris circumferuntur, & editæ sunt ante congestum & approbatum librum Decretalium omni vi legis generalis destitutæ sint, quia in Prooemiis Gregorii IX. & Bonifacii VIII. antiquæ Decretales extra Corpus Juris evagantes excluduntur tanquam contrariæ, dubiæ, obscuræ vel superfluæ.

3. Constitutiones vero Apostolicæ seu Decretales Extravagantes in Corpore Juris non insertæ, si edantur immediatè à Summo Pontifice, & in forma authentica exhibeantur, Jus faciunt commune quo ad omnes *c. 1. de Big. in* 6. quia Summus Pontifex potest condere leges pro universo Orbe *c. Cuncta per mundum* 9. *q* 3. *c. ad Apostolicæ de re judic. in* 6. Cum jurisdictio illius non restringatur ad limites alicujus territorii *Innoc. in c. 1. n. 2. de Offic. Deleg.* sed ex vi institutionis ejus potestatem habet legislativam in universam Ecclesiam. *Suaz. l 4. de Leg. c. 3. n.* 10. adeoque Constitutio Sedis Apostolicæ omnes adstringit, *c. ult. de Constit.* Etiam sine

Concilio generali, cum leges Romani Pontificis non pendeant à Conciliis, sed decreta Conciliorum ab ipso. *c. Significasti de Elect.* hæc enim nullam vim habent nisi fuerint oraculo Pontificis canonizata. At Pontifex habet plenitudinem potestatis. *c. ad honorem de auctor. & usu pall & c. Decreto 2 q. 6.* quæ eadem est cum potestate Petri *cit. c. Significasti c. ult. 9. q 3.* adeoque immediate à Christo collata, nam, ut inquit Anacletus Papa: *Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino primatum obtinuit. c 2. dist. 22.* Et Pontifex non Petri, sed Christi dicitur Vicarius, Petri vero Successor, ut *cap. 15.* pluribus ostensum est, ideoque sicuti Petrus potuit leges ferre pro universa Ecclesia, ita & Pontifex.

Eandem ob causam potest Pontifex leges etiam graves & universales condere sine consensu & Consilio Cardinalium. *Suaz l. c. n. 14.* quia talem habet potestatem, qualem habuit Petrus, ut diximus, sed Petrus habuit absolutam & independentem à Concilio Apostolorum, nedum aliorum, cum enim dictum est illi: *Pasce oves meas*, accepit potestatem etiam supra ipsos Apostolos adeoque independentem ab illis, ergo & Pontifex pote-

potestatem habet independentem à Cardinalibus, idque supponunt jura dum dicunt: *Romano Pontifici semper licuisse novas condere leges. c. Sunt quidam 25 q. 1.* Et *Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente solvendi & damnandi habuit potestatem c. Cuncta. 9. q 3.* Atque ideo dum ferunt leges, propria & sola sua auctoritate id faciunt, nec addunt: *Sacro approbante Concilio* vel: *De fratrum nostrorum Consilio*, prout in motibus propriis vel rescriptis aliis extra jus facere solent. Et sanè dignitas Cardinalium, quæ nunc est, non semper fuit, sicuti ergo ante institutionem illius condere leges potuerunt Pontifices sine Cardinalibus, sic & nunc id ipsum poterunt.

Nec jure Consuetudinis, aut quasi præscriptionis habent Cardinales, ut consuli debeant, si causæ graviores determinandæ sint, quia contra supremam Papæ potestatem non valet consuetudo aut præscriptio, cum contra jus divinum prævalere non possit consuetudo humana, ideoque consuetudo Cardinalium dependet à voluntate Pontificis, qui potest jura eorum pro libitu immutare.

Constitutiones ergo Pontifici omnes

fideles obligant, & qui eas non observat, ab Ecclesia arcendus est *Bonif. II. in Epist. Decret. Agapitus Epist.* 1. & est anathema *c.* 18. 25. *q.* 2. sive illæ factæ sint pro fide sive pro disciplina, sive pro correctione, sive pro interdictione futurorum *c.* 4. 25. *q.* 1. Nec possunt per contrariam consuetudinem convelli *Nicolaus I. in Decret. Tit. de Rom. Pont. c.* 1. & 2. quia accipiendæ tanquam ipsius Divi Petri voce firmatæ. *c.* 1. & 2. *dist.* 19. ideoque illis cedunt omnia alia Sanctorum scripta. *c.* 1. *dist.* 20. Possunt tamen auctoritate Sedis Apostolicæ pro temporum necessitate & varietate temperari. *c.* 6. *Cau.* 1. *q.* 7. & mutari in melius. *Nicol.* 1. *Epist.* 58. & *in Decret. Tit. de Rom. Eccl. c.* 10.

4. Neque solum Decreta Apostolica pro tota Ecclesia, vel communitate aliqua jus efficiunt, sed etiam Epistolæ & Responsa Summorum Pontificum particularia ad instantiam & interrogationem unius personæ data, dummodo in Corpore Juris inveniantur, aut proferantur in forma authentica. Nam liber Decretalium plenus est hujusmodi singularibus Responsis, quæ pro generalibus Constitutionibus in eo proponuntur, ut *c. Ex literis & c. ex parte de Constit.* aliisque constat. Deinde ita declaravit Nicolaus

laus I. in *c. Si Romanorum dist.* 19. Gratianus *Dist.* 2. *in princ.* Innocentius III. in *c. Ea multa de orat. & voti red.* Gelasius Papa *in c. Licet* 16. *q.* 3. estque receptissima. Nec desunt rationes, nam lex an generalis sit, an particularis, metienda est à potestate Legislatoris, *c. ult. de Constit. in* 6. Legislator vero Summus Pontifex generalem habet jurisdictionem in omnes Christi fideles. *c. Cuncta per mundum* 9. *q.* 3. Ergo licet responsum datum sit ad particularem locum vel personam, jus tamen, quod efficiunt comparatione omnium casuum similium, ut generale habendum est. Deinde ubi eadem est ratio, idem jus constitui debet. *l.* 27. *idem & l.* 32. *de quibus ff. de Leg.* Casus enim similes in lege sub eadem ratione communi continentur. Ne ergo Pontifex acceptor sit personarum, sed omnes uniformi regula moderetur in singulari responso dat legem vel legis interpretationem generalem.

Nec dicas: Nonnulla sibi in responsis Pontificiis contrariari adeoque vim obligandi non habere. *l. ubi repugnantia ff. de R. I.* Non enim Pontifices sibi in definiendo jure, sed in facto judicando adversantur, ideoq; responsa illa non continent errorem juris sed facti. *Covarr. 2 part. 4. c. 7. §. 3. n. 15.*

CAPUT XX.

De Sententiis Sanctorum Patrum.

Quam habeant auctoritatem Sententiæ SS. Patrum. An vim legis obtineant.

1.

QUartum Sacrorum Canonum fontem esse diximus Sententias SS. Patrum. De illis ergo hic inquirendum occurrit, quam auctoritatem habeant, & an vim legis obtineant. Summam semper in Ecclesia DEI fuisse SS. Patrum auctoritatem nemo inficiabitur, aut in dubium vocabit, nisi hæreticus, qui hoc nomine tanquam ex nota characteristica ab Orthodoxo discernitur. Heterodoxi enim *dum nolunt esse Discipuli veritatis, fiunt Magistri erroris*, inquit Fulbertus Carnotensis *in Epist. ad Adeodatū*; Ideoque Aërius, ut notat Socrates *Hist. Eccl. l. 2. c 28.* Eunomius à S. Hieronymo *in Epist. ad Pammachium & Ocean.* Arius ab Athanasio *Serm. 2. contra Arian. Athei* dicti sunt. Sunt enim SS. Patres constituti in Ecclesia *Doctores ad Eph. 4.* ut fidem explicent, confirment, quem in finem

nem datus est illis *Sermo Sapientiæ & sermo scientiæ in uno Spiritu.* 1. Cor. 12. ut sint *scribæ docti in regno cælorum Matth.* 13. Sunt Episcopi Ecclesiarum, atque ut inquit S. Augustinus contra Julianum *l.* 2. *Docti, graves, sancti, in quibus invenire non potes, quod spernas. Talibus Ecclesia Plantatoribus, Rigatoribus, Ædificatoribus, Pastoribus, Nutritoribus credit.* Sunt Testes integerrimi orthodoxæ fidei & sanctarum consuetudinum: *Quod enim invenerunt in Ecclesia tenuerunt, quod didicerunt docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt,* inquit idem Augustinus *l. c.* Sanctorum Patrum fide & auctoritate nixa sunt Concilia generalia dum Decreta sua sanxerunt. In Concilio Nicæno I. *Episcopi* (ait Athanasius in Epist. ad Afros) *non sibimetipsis adinvenientes verba, sed habentes ea à Patribus testimonia conscripserunt.* In Concilio Ephesino generali III. sic loquuntur Patres: *In tali sensu SS. Patres fuisse comperimus,* ideoq; in Epistola ad Nestorium fidei definitionem hac forma conscribunt: *Sequentes itaque*

itaque SS. Patrum confessiones, & intentioni eorum æquis vestigiis insistentes profitemur &c. In Synodo Chalced. Generali IV. *Act.* 4. *Sequentes igitur SS. Patres docemus* & *Act.* 5. acclamant: *Hæc est fides Patrum.* In Conc. Generali VI. *Act* 4. & 10. contra Macarium hæreticum ex SS. Patrum testimoniis definitur. In generali VII. Nicæno II. *Act.* 2. ex iisdem per Adrianum Papam in literis ad Synodum Iconomachi convincuntur. Demum in Concilio Florentino tota concertatio inter Latinos & Græcos ex SS. PP. Sententiis definita & composita est. Atque ita in cæteris omnibus Conciliis Episcopi Sanctorum Patrum vestigiis in rebus definiendis institerunt.

2. Magna itaque semper fuit SS. PP. eorumque testimoniorum auctoritas in Ecclesia. Distinguenda vero est auctoritas interpretandi Scripturas & explanandi abstrusas ac sublimiores Theologiæ difficultates ab auctoritate condendi leges, quibus subditi obligari possint. Auctoritatem interpretandi, quæ profluit ex dono Sapientiæ & scientiæ, habent SS. Patres; Sed est ea duplex: Alia probabilis solum, alia certa & firma. Probabilis, cum disputant de iis in scien-

tia

tia Theologica, de quibus salva fide in utramlibet partem disceptari potest, in his enim *salva fidei compage doctissimi & optimi Regulæ Catholicæ Defensores interdum dissentiunt*, inquit S. Augustinus *l.* 1. *contra Julian. Et de peccato orig. l.* 2. *c.* 23. postquam enumerasset quædam scientiæ Theologicæ problemata. *Quis*, inquit, *non sentiat in his atque hujusmodi quæstionibus, sive ad obscurissima Opera DEI, sive ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, & multa ignorari salva Christiana fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine?* Atque in his idem S. Doctor liberos librorum suorum lectores & correctores admittit, cum in Proœmio lib. 3. de Trinit. *In omnibus literis meis non solum pium Lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero.* Ubi ergo in similibus dissentiunt Patres & Doctores, tunc ea tenenda est opinio, quæ præstantioribus nititur fundamentis. *l.* 2. §. *Si quis C. de vet. jur. enucl. c. Capellanus de Feri.* Probabilem quoque auctoritatem solummodo habent testimonia unius vel alterius Patris aut Doctoris in eo, de quo cæteri Patres tacue-

tacuerunt (nam si quis Doctor se omnium aut plurimorum Patrum testimoniis opponeret, audiendus omnino non esset) neque ex iis firmum argumentum desumi potest, nisi ratione materiæ substratæ, de qua tractant, ut dicetur. Nam Patres ut privatæ sunt personæ fallere & falli possunt, ideoque quod à Doctore aliquo etiam magnæ auctoritatis docetur, examinandum est, an conforme sit juri prout Lex vel Canones disposuerunt. *l.* 12. *Ancillæ. C. de Fer. & Serv. corrupt.*

3. Porro certam & firmam faciunt auctoritatem testimonia SS. PP. in materia, quæ fidem Catholicam, & notissimas Christianæ Religionis regulas concernit, in eaque omnium vel plurium unanimis consensus concurrit. Id vero non tantum est propter nudam Patrum auctoritatem secundum se sumptam, quia ipsi dixerunt, hæc enim, ut diximus, fallibilis est, sed potissimum quia eorum consensus Apostolicam traditionem scriptorumque Canonicorum declarationem manifestat. Quare cum sexta Synodus generalis *Can.* 19. Lateranense sub Leone X. *art.* 1. & Tridentinum *Sess.* 4. prohibent, ne quis contra communem SS. PP. interpretationem sacras literas exponat, non volunt, quod eorum auctoritas

ctoritas omnino certa sit & infallibilis, eorumque expositiones de fide observandæ sint, sed ut occurrerent hæresibus ex prava sacræ Scripturæ interpretatione pullulantibus, ideoque permissum adhuc est Interpretibus sacræ Scripturæ novos sensus inquirere, & Patrum sententias expendere, dummodo communem illorum sententiam non rejiciant; Quod si quis id attentaret, temerarius foret præponendo suum judicium communi SS. PP. Sententiæ, & peccaret mortaliter præceptis Ecclesiæ in re tam gravi non obediendo *Canus 7. de locis. c. 3. Concl. 5. Valente.*

4. Quod ad auctoritatem SS. PP. attinet condendi leges, eam illi non habent; Nam in legibus condendis & negotiis definiendis, quibus se omnes conformare tenentur non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas. *dist. 20. §. sed aliud.* Hinc Christus dedit Petro non tantum scientiam discernendi inter lepram & lepram, sed etiam potestatem ligandi & solvendi. *Matt. 16.* Quare SS. Patres non fuerunt Canonici Scriptores, nec eorum sententiæ legem constituunt. Illæ tamen, quæ in Corpus Juris vel in Constitutionem aliquam Pontificiam relatæ sunt, canonizatæ sunt auctoritate

Papæ,

Papæ, & vim legis obtinent. Allegari tamen possunt & cæteræ Sententiæ SS. PP. ob auctoritatem, quam habent apud fideles, ut diximus ad probandas & decidendas causas in rebus, de quibus jus non disposuit, sicque post Constitutiones Pontificum & Decreta Conciliorum juxta Canisium in causis decidendis auctoritatem afferre possunt.

CAPUT XXI.

De Placitis Principum sæcularium.

An & quæ vim habeant obligandi personas Ecclesiasticas.

STatuimus Cap. 12. quintum Juris Canonici fontem esse Placita Imperatorum & Principum sæcularium, quia quamplurimæ leges & statuta illorum Principum inserta sunt Juri Decretalium, & Constitutionibus Summorum Pontificum, ex quibus Jus Canonicum confectum est. Quamvis vero placita & statuta sæcularium, etiam quæ honesta sunt & utilia, nec libertati Ecclesiæ inimica, priusquam à S. Pontifice & Ecclesia approbata sint nullam vim habeant ex se obligandi personas Ecclesiasticas, nec

nec eos circa aut res eorum disponere possint, cum Imperium Sacerdotio non præsit, sed subsit. *c.* 6. *de Maj. & Obed. c.* 10. *de Constit.* nihilominus in judicio Ecclesiastico recipiuntur, cum Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuventur. *c.* 1. *de nov. oper. nuntiat.* & Juris Canonici sanctiones Juris Civilis subtilitate decorentur. *Bald. in Proœm. Decret.* Hinc S. Augustinus *l.* 2. *contra lit. Petiliani c.* 58. *Si in adjutorium vestrum etiam terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. c.* 7. *dist.* 10. Cum profluant ex eodem fonte Canones & justæ leges, nam divinitus per ora Principum promulgata dicuntur. *c. ult. caus.* 16. *q.* 3. ideoque *Sacratissimæ* appellantur *l. leges Sacratiss. C. de Leg.* & *Sanctissimæ l.* 1. *Vicar. & extraord. Cognit.*

Jam vero si Imperatorum & Principum placita inserta sint Corpori Juris Canonici, juris quoque Ecclesiastici robur & auctoritatem obtinent, nam ut Imperatores, sic & Summi Pontifices omnia sua faciunt, quibus auctoritatem suam impertiunt. *l. C. de Jur. vet. eund.* atque ita pari cum Canonibus necessitate obedientiam exigunt. *Barb.* 10. *c. Ecclesiæ de Const. in prætermissis.* Nullius ergo temeri-

meritate leges Imperatorum debent corrumpi, sed ab omnibus observandæ sunt, *c fin. Dist.* 10. dummodo sacræ Scripturæ vel Decretis Canonum vel bonis moribus non adversentur. *c.* 1. 3. 4. *& seqq. dist.* 10. nec quicquam de rebus aut personis Ecclesiasticis statuant. *c.* 7. *de Constit.*

CAPUT XXII.

De Decreto Gratiani & Paleis.

Quomodo dividatur Jus Canonicum scriptum. De Gratiano auctore Decreti. An Decretum habeat auctoritatem legis, & quam habeant auctoritatem Glossa & Rubricæ ejus. Quomodo dividatur, & quid contineat Decretum. Paleæ cur ita dicantur, & quo auctore scriptæ. Quam habeant auctoritatem.

1.

JUs Canonicum scriptum dividitur in Jus commune & speciale. *Tholos. l.* 1. *tract.* 2. *c.* 14. Commune latum est pro universa Ecclesia; Speciale pro certa Provincia, Diœcesi vel loco; Hoc intra illius fines, istud omnes fideles obligat. Jus commune Canonicum constituunt

tuunt Decretales Summorum Pontificum, quorum aliquæ translatæ sunt in Corpus Juris Canonici, aliæ extra id vagantur, & continentur in Bullario, & magna parte in septimo libro Decretalium. De Bullario actum est supra *c.* 19. De libro septimo dicetur infra *cap. ult.* Corpus vero Juris Canonici appellatur Volumen illud, in quo jura ad totius Ecclesiæ gubernationem spectantia continentur; Et Latinè *Corpus* dicitur, sic enim Cicero de volumine scripto ad Lucejum *l.* 5. *Epist. Videtur mihi modicum Corpus confici posse.* Et in *l. Librorum* 52. §. 2 *ff. de legatis* 3. Dicitur Ilias corpus Homeri. Dividitur hoc Corpus Juris Canonici in sex partes: In Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX. Sextum Decretalium Bonifacii VIII, Decretales Clementis V, Extravagantes Joannis XXII, & Extravagantes communes. Quibus postea accessit septimus Decretalium. De singulis ordine agemus.

De Decreto Gratiani.

2. Decreti auctor est Gratianus, de quo nemo ambigit & est notorium ait Jo. Andreas *in Merc. de reg. Jur. in* 6. *sup. data.* Patria non Classensis, ut habet Tri-

Trithemius *de Vir. illuſt. l. 2. c. 13.* Sed Cluſius, natus in civitate Thuſſiæ, quæ Cluſium ſeu Guiſa dicta eſt, non Claſſa, ut depravatè legitur in Pomœrio Eccleſiæ Ravennatis *Bar. a. 1151. & Poſſev. in appar. V. Gratianus*; Profeſſione Monachus Benedictinus ut teſtantur citati Baronius, Poſſevinus aliiq; probabilius in Monaſterio S. Felicis Bononienſis, prout aſſerunt Monachi S. Felicis, & tradit Sigonius. *l. 1. de Epiſc.* eſtque communior, quamvis Monachi S. Proculi ſuum eſſe affirment, eique ſtatuam marmoream in Clauſtro, quod hortum reſpicit, erexerint; Quibus accedit Maranta in praxi 3. *p. n.* 34. & Præpoſitus Alexander aſſerens in Proœmio Decreti compoſitionem illius factam eſſe in Monaſterio S. Proculi. Arnoldus Vion utriusque Monaſterii Monachos conciliare ſtudet, dicitque Gratianum prius monaſticam vitam in Monaſterio S. Proculi profeſſum eſſe, deinde tranſiiſſe ad Monaſterium SS. Felicis & Naboris, ibique Decretum compilaſſe. Certe in hoc Monaſterio elaboratum eſſe opus conſtat ex Saxo pervetuſto, quod in Sacrario ipſius Eccleſiæ reconditur, in quo hi verſus leguntur:

Hanc

Hanc ædis partem, Lector reverenter adito:
Namq; loci Monachus Decretum hic condidit hujus.
Divinum Gratianus opus, quantumlibet arcto
Contentus septo, quod reparando caducum,
Et vetus hoc clauſtrum tolli fuit inde neceſſe.

Et confirmat Epitaphium, quod defuncto poſitum eſt Bononiæ tale:

Gratiani Cluſini Cæſarei Juris & Pontificii Enucleatoris prope Divini, qui Monachus in Martyrum Felicis & Naboris æde abſolutiſſimum ibidem opus Decretorum Anno Gratiæ 1151. *compilavit, Sepulchrum quod illic Curiæ ruderibus abſorptum, hic magnificentius renovatum. Jo. Franciſcus Aldrorandus Bonon. IIII. Dictator ære publico inſtauravit.*
Anno ſalutis 1498. *Idib. Junii Joanne Bentivolo II. P. P. Remp. feliciter gubernante.*

Prodiit autem in lucem hoc opus ſecundum veriſimiliorem ſententiam anno 1151. tempore Eugenii Papæ III, ut habet

volumen vetustissimum Decreti, & chronicon quod inscribitur Pomœrium Ecclesiæ Ravennatis, asservaturque in Bibliotheca Vaticana. Quamvis non improbabile quoque sit vulgatum esse anno 1141, ut habet emendata editio jussu Gregorii XIII. facta, vel anno 1127. ut scribit Tholosanus *l. c. in Schol.* sed Bellarminus *de script. Eccles.* conciliat hæc dicendo illo anno 1127. forte incæpisse opus Gratianum.

Dicitur *Decretum* in singulari per Synecdochen. licet multa contineat Decreta ; Sicut *Digestum* dicitur, quamvis multa complectatur Digesta. Innocentius III. appellat id *Corpus Decretorum Epist. ad Episc. Compostel.* Alii *Concordiam discordantium Canonum*, quem titulum præfert editio Gregoriana supra citata.

3. Auctoritatem legis hic liber à Gratiano nullam habet, quia ipse privatus condere leges non potuit, præterquam quod lapsus sit in multis. *Salas de leg. disp.* 12. *n.* 5. Errores Gratiani non paucos notat & ostendit Bellarminus *de Script. Eccles.* dum aliqua ex suspectis auctoribus congessit ; Sæpe tribuat S. Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, quæ ex aliorum etiam hæreticorũ scriptis desumpta sunt; *Gratianus enim*, inquit Baronius ad annum

num 664.n.4.& 774.n.4. *fuit nimis credulus*. Sententrias quoque SS.PP.ac Summorum Pontificum non pro ut sunt in fonte, sed suis verbis & glossis permixtas frequenter profert. Neque liber ille auctoritatem habet Canonicam ab aliquo Pontifice, non enim approbatus est, ut nonnulli volunt ab Eugenio III. *Fpo de jure sacro n.* 135. Pius IV. & V. ac subinde Gregorius XIII. opus illud ab innumeris mendis & testimoniorum depravationibus repurgari mandarunt, non approbarunt. *Præf. ad Lect.* Quare contenta hujus libri aliam non habent auctoritatem, quam habeant fontes unde dimanarunt, nimirum Canonicam, quæ ex Decretis Pontificum vel Conciliorum Oecumenicorum, vel etiam particularium à Pontifice approbatorum ; Civilem, quæ ex Constitutionibus Imperatorum desumpta sunt. *Jo. Andr. in. c.* 2. *n.* 24. *de Rescrip.* Ex sententiis SS. PP. licet juris auctoritatem acquirere non possint, quia eam ipsæmet non habent, ex usu tamen in foro externo ad causarum decisionem adminiculum præbent.

Nec Glossa majorem habet auctoritatem, quam privati alicujus hominis. Composuit eam Joannes Semeca Theutonicus. *Possev. in appan. V. Joannes* Ordinis

Prædicatorum Prior S. Stephani Halberstadii sub initium sæculi 13. *Alberic in proœm.* & in multis supplevit Barthol. Brixiensis ut ipsemet testatur *ad c. tempus* 13. *q.* 2. est erudita, brevis & succi plena, in aliquibus tamen ab erroribus, & quidem gravibus non immunis. Neque Rubricæ Decreti, quæ sunt Gratiani ampliorem vim habent, quam cujusvis Doctoris aut Magistri privati; Secus in Decretalibus, Digestis & Codice, ubi Rubricæ & omnia in iis contenta vim obligandi à Pontifice vel Imperatoribus acceperunt.

Numeri & Summaria quæ singulis Capitulis præmittuntur non sunt Gratiani; Sed numeros adjecit Antonius Contius, post cujus editionem alligari cæperunt Capitula per numeros. *Ant. August. l.* 1. *de emend. Grat. dial.* 18. Quando autem & à quibus Summaria sint addita, incertum est. Forte ab iis, qui additiones Glossarum scripserunt, aut qui primi editionem Decreti curarunt, & forte iidem inscriptiones Distinctionum & Quæstionum in principio cujusque paginæ addiderunt.

4. Dividitur Decretum in tres partes pro numero trium objectorum Juris, quæ sunt: Personæ, Res & Actiones. Prima

ma pars constat 101. Distinctionibus; Viginti primis agitur de Elementis juris Canonici; Septuaginta tribus sequentibus de Cleri origine, forma, institutione, vita, moribus, officiis; Octo ultimis de Jurisdictione Pontificis. Quælibet distinctio dividitur in Canones sive Capitula, & sic allegantur: *c. Omnes leges dist.* I. Vel: *Dist.* 1. *c. Omnes leges.* Secunda pars habet 37 causas, quarum singulæ dividuntur in quæstiones, & quælibet quæstio in sua Capita. Complectitur hæc materiam rerum juridicarum & judiciorum Ecclesiasticorum, atque ita citantur. *c. Si quis suadente, causa* (quod tamen vocabulum plerumque omitti & subintelligi solet) 17. *q.* 4. vel 17. *q.* 4. *c. Si quis suadente.* Quæstione vero tertia causæ 33, quæ est matrimonialis, agitur septem distinctionibus de pœnitentia occasione dubii: An per confessionem soli DEO factam possint peccata deleri. Distinctiones pariter divisæ sunt in Canones seu Capitula, & sic citari solent: *c. Cogitationis dist.* I. *de pœnit.* Tertia pars habet quinque Distinctiones de Consecratione, quarum singulæ rursus dividuntur in suos Canones seu Capitula, & citantur hoc modo:

c. Solennitates dist. 1. *de Consecrat.* Explicatur in his Jurisdictio & ministerium Ecclesiasticum. In fine Decreti ponuntur Canones pœnitentiales, & sunt Regulæ quædam directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas; Quibus demum subjunguntur Canones Apostolorum.

De Paleis.

5. Sunt quædam Capitula Decreti, quæ Paleæ inscribuntur. Cur ita & quo auctore incertum. Sunt enim, qui illas sic dictas velint, quod res inanes ac leves contineant, & adducitur in confirmationem illius responsum aliquod Gratiani, quod dedisse fertur coram Pontifice, à quo Decreti confirmationem petierat, de interjectis illis particulis: *Palea est, nec de grano meo.* *Barth. Capol. de cognit. libr. Jur. Can. in princ.* Alii hæc Capitula dici putant τὰ παλαιὰ, id est antiqua, quia ex vetustis codicibus accepta, & antea in transcriptis omissa fuerant. Alii ab adverbio μάλιν seu depravata voce πάλιν, id est rursum nominari paleas, quasi additiones seu repetitiones. Cujatius in *c.* 1. *de sponsa. duorum* *Paleam* significare putat Canones antiquos.

Alii

Alii sic dici existimant ab earum auctore Gratiani discipulo *Protopalea*, vel potius *Pocapalea*, quo nomine hodie oppidum est & familia in Subalpinis *Cæpol. l. c.* seu ut habet Valente *in proæm. prolus. Concord.* *Quartapalea* dicto. *Jo. Andr. in addit. ad Spec. tit. de disput. & alleg.* aliique inter quos Jason, qui addit Cardinalem fuisse, & fortè est ille, cujus meminit Barth. Cæpol. *in tract. de cogn. lib. Jur. Can. apud Fagnan. de Const p. 22. n. 44.* Præterea an unus idemque omnium palearum sit auctor, æque incertum est, cum non desint, qui existiment non omnes eodem tempore adjunctas esse, sed aliquas ab eodem Gratiano inter relegendum, alias ab interpretibus ad marginem adscriptas esse, quas deinde librarii sub Paleæ nomine, vel sine ullo à cæteris discrimine textui inseruerint. *Admonit. præf. Decret. edit. Greg.*

6. Illud certum has paleas, licet non omnino contemnendæ sint, cum multæ in Decretalibus, aliisque collectionibus ante Gratianum reperiantur, & magistralis doctrinæ contineant auctoritatem, non habere tamen vim Juris & Canonis, cum eam auctores, quicunque illi fuerint, tribuere illis non potuerint,

quam

quam non habebant. *c. Translato de rescript. l. fin. C. de leg.* imo minoris sunt auctoritatis, quam Decretum & dicta Gratiani, cum nec Glossas habeant, nec allegentur sub nomine Capitulorum, sed palearum. *c. Precariæ* 10. *q.* 2. Neq; earum mentionem faciat Gregorius XII. in Bulla Decreto præfixa; Adeoque etiam Auctores qui Decreto tribuunt auctoritatem legis, eam denegant Paleis, quod Gregorius XIII. eas non comprehenderit nomine Juris Canonici, hoc enim si voluisset, manifestis verbis declarasset, cum sciret, illas in communi usu, & solita DD. interpretatione Juris vigorem non habere. *Thom. Canon. in proœm. n.* 625. Quamvis Præpositus *in c. imprimis n.* 14. *caus.* 2. *q.* 1. dicat Paleis etiam communiter credi, nisi detur jus in oppositum.

CAPUT XXIII.

De Decretalibus Gregorii IX.

Cujus auctoritate, & à quo Decretales collectæ sint. In quot libros dividantur, & qnomodo citentur. De materia & ordine librorum.

1.

DEcretalium Epistolarum aliæ sunt anti-

antiquæ, aliæ Novellæ. Antiquæ, quæ continentur secunda parte Juris Canonici, sunt Constitutiones seu Epistolæ variorum Pontificum in unum volumen collectæ auctoritate Gregorii IX; Fuit is Patria Anagninus ex gente Signia de Comitibus natus, ex qua Illustrissima Familia, quæ vulgo de Conti dicitur, decem Pontifices Summi numerantur. *Azor. p. 2. Inst. l. 3. c. 45. q. 5.* Ex his unus fuit Gregorius ex Consobrina Innocentii III. Nepos, & ab eo ad Cardinalatum promotus A. 1227. altero die ab obitu Honorii Pontifex salutatus est, & post septimum, juxta Valente, Pontificatus annum (alii tradunt A. 1230.) constitutiones Pontificias in unum volumen quinque libris distinctum redigere cœpit per Fratrem Raymundum à Pennafort Barcinonensem Ordinis Prædicatorum, primum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Generalem à Gregorio IX. creatum, ejusdemque Pontificis Cappellanum & Pœnitentiarium, ac subinde etiam tertium Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem, quem Clemens Papa VIII. A. 1601. in numerum Sanctorum retulit. Hic Constitutiones illas ex quinque aliis antiquioribus collectionibus concinnavit, ideoque

propter

propter Doctores illius temporis, & ob gloſſas antiquas plerumque principia, ſeu prima verba ſingulorum capitum ex antiquis collectionibus retinet, & cum ſenſum non perficiant, additur *& infra.* Abſolvit hoc opus feliciter Raymundus trium annorum ſpatio A. 1237. *Genebr. in Chronol.* Dicuntur *Decretales*, non *Decretum* quia majori parte ſunt Conſtitutiones & literæ Summorum Pontificum; Decretum vero continet potiſſimum Conciliorum Decreta.

2. Dividuntur Decretales in quinque libros, hi in titulos, & tituli in capita. In citatione ponitur vel numerus vel initium Capituli & titulus hoc modo: *c.* 2. vel *c. Oſius de Elect.* id eſt, in capite cujus initium *Oſius*, ſub titulo de Electione, qui titulus quotus in ordine ſit requirendum in indice titulorum; A quibusdam DD. in citando additur particula *extra* ad ſignificandum, quod hi libri ſint extra Decretum Gratiani, quod prius eſt editum hoc modo: *c. Nullus extra* (quod brevitatis cauſa hoc ſigno Ẍ notatur) *de Elect.* non ergo per hanc parculam *extra* ſeu Ẍ ſignificantur Extravagantes. Si citetur initium Tituli, idque idem ſit in pluribus Capitulis ejusdem

Tituli

Tituli ad distinctionem ab auctoribus maxime Italis additur: il primo, secondo, il terzo, hoc modo: *Ex parte il primo de privil.* idque in Decreto quoque aliisque libris est observandum.

Materia in hoc opere sunt ipsæ Constitutiones & Decretales Epistolæ sub singulis titulis collocatæ. *Gloss. Proœm.* Quam materiam Gregorius IX. in quinque partibus seu libris ad normam ordinemque Pandectarum ac Codicis secundum rationem Judiciorum digessit. Post Epistolam, quam operi præfixit, in primo libro substrato fundamento Catholicæ fidei, nimirum Titulo de Summa Trinitate & fide Catholica, exponit Juris Canonici principia, ut sunt Constitutiones, Rescripta & Consuetudines. Deinde agit de Ordinibus, gradibus, jurisdictionibus & officiis Magistratuum Ecclesiasticorum. Demum subjungit quædam circa personas & res litigantium in principio judiciorum versantia. In secundo libro tractat de Judiciis eorumque ordine ac processu. In tertio agit de vita Clericorum eorumque juribus tum propriis, ut sunt Beneficia Ecclesiastica, tum communibus cum Laicis ut sunt Contractus, testamenta &c. In IV. libro tractat de Sponsalibus, matrimoniis

& im

& impedimentis eorum. In V. agit de Criminibus eorumque accusatione & pœnis. His demum subjungit ad exemplum Pandectarum duos titulos: De Verborum significatione & de Regulis Juris.

Quam verò auctoritatem habeat hic liber seu compilatio harum Decretalium, declarat satis ipse Gregorius IX. in Epistola operi præfixa, cum ait: *Volentes igitur ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis & in Scholis, districtius prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali.* Hic præcipit Summus Pontifex universis per orbem Christianum fidelibus, ut has Decretales tanquam normam & regulam non tantum doctrinæ in Scholis tradendæ, sed etiam rerum in judiciis agendarum sequantur. Cum ergo Pontifex non solum possit, ut probatum est supra *c.* 14. *n.* 3. & 4. sed etiam hic expresse velit omnes obligare subditos per has Decretales, dubium non est quin hæ jus faciant universale.

CA-

CAPUT XXIV.

De Libro sexto Decretalium, Clementinis & Extravagantibus.

Quis & ex quibus compilarit Librum sextum; Quomodo dividatur & citetur. Unde dictæ, & ex quibus collectæ Clementinæ. Quomodo dividantur & citentur. Extravagantes cur sic dicantur. Quas contineant Constitutiones Libri Extravagantium; Quomodo citentur. An faciant fidem in judiciis.

I.

TErtia pars Juris Canonici continet Librum sextum Decretalium, sic dictum, quod quinque Libris Decretalium sextus accesserit, iisque ratione materiæ sit annexus. Compilarunt eum sub annum 1297, alii volunt 1274, alii 1300. apud Gonzalez Guilielmus de Mandagoto Archi-Episcopus Ebredunensis, Berengarius Fredellus vel Stredelius Episcopus Biterrensis, ac Magister Richardus de Senis (nonnullis Malambrus) S. R. E. Vice-Cancellarius *Præfat.* ac postmodum Cardinalis Diaconus S. Eustachii *Gloss.*

bis

hic mandato Bonifacii VIII, ex Illustrissima Cajetanorum Familia nati, & in Cœlestini locum Pontificatum renuntiantis suffecti ex ejusdem Bonifacii & aliorum Pontificum, qui inter hunc & Gregorium IX. interceſſerunt, imo ex quibusdam etiam Gregorii reſcriptis, ac præcipuè Decretis Conciliorum Lugdunenſium primi & ſecundi generalis ſub Innocentio IV. circa annum 1245. & Gregorio X. A. 1274. celebratorum. Diſtinctus eſt ſextus Decretalium in quinque libros, quorum ſinguli in titulos & capita dividuntur. Adjectæ ſunt ſub finem Regulæ juris 86. majori ex parte deſumptæ ex Regulis Juris Cæſarei. Cum hic liber citatur ponitur initium, vel numerus Capitis & titulus cum addito in 6, hoc modo: *c.* 2. vel *Licet Eccleſiarum de præbendis in* 6. Eadem eſt harum Decretalium auctoritas, quæ præcedentium, maximè cum in Concilio Lugdunenſi approbatæ ſint. Refert tamen Jo. Andreas non obligare in Gallia, quod ibi receptæ non fuerint.

2. Quarta pars comprehendit Conſtitutiones Clementinas, ſic dictas, quod eas Clemens V. colligendas curarit partim ex Canonibus Concilii Viennenſis

circa

circa annum 1311. celebrati, partim ex propriis Constitutionibus, quas tamen post mortem ejus Joannes XXII. primum absolvit. Fuit Joannes XXII. antea Jacobus dictus, natione Gallus, Cadurci urbe Aquitaniæ à Patre Arnoldo Deusa misero veteramentarioque Sutore natus, quem eximia Virtus & doctrina ad supremum dignitatis fastigium evexit, nam primum Arelatensis Episcopus, Caroli secundi Regis Cancellarius efficitur, ubi tantum sui officii famam auxit, ut Archi-Episcopus Avenionensis mox Cardinalis, & Episcopus Portuensis à Clemente V. fuerit creatus, eoque vivis sublato totius Ecclesiæ obtinuit principatum A. 1316. & altero post anno, nimirum 1317. hanc compilationem promulgavit. *Spondanus ad hunc annum.* Dividuntur Clementinæ in quinque libros, sicuti Decretales & iisdem Titulis, sed multo paucioribus, qui etiam in Capitula distinguuntur. Citantur hoc modo: *Clement. Multorum querela, de hæreticis.* Hæc Compilatio cum approbata sit ab ipso Clemente Pontifice & in Concilio Viennensi, obtinet quoque juris auctoritatem.

3. Quinta pars continet duos libros, quo-

quorum primus est Extravagantium Constitutionum Joannis XXII. numero 20, quæ in 14 titulos dividuntur, sicque allegantur: *Extrav. Joan. XXII. Execrabilis de Præb. & dign.* Alter liber est Extravagantium communium variorum SS Pontificum, qui in quinque libros, atque hi in titulos & Capita distribuuntur; Citantur vero hoc modo: *Extrav. Cum detestabile, de Simonia inter comm.* Dicuntur Extravagantes, quia primò extra corpus juris Canonici quasi incerta sede vagabantur. *c. Pastoralis de fid. instrum.* unde hodiedum sic appellantur, licet in Corpore Juris jam locum occupent. Glossas in primum librum scripsit Zenzilinus de Cassanis; In secundum Joannes Monachus Pichardus, Guilelmus de Monte Lauduno, & Joannes Franciscus de Pavinis. Hæ Extravagantes passim pro authenticis habentur, cum sint decisiones SS. Pontificum, quæ à longo jam tempore possessionem in Corpore Juris acceperint, variisque Doctorum notis ac Glossis illustratæ sint, quamvis incertum, an alicujus Summi Pontificis auctoritate & jussu in hunc librum relatæ sint & publicatæ. Faciunt proinde fidem in judiciis, etiamsi non producantur

cantur, & sententia contra illas lata, est nulla, utpote contra jus notum. *Rom. Consil.* 260. *num.* 2. *Tusch. lit. E. Concl.* 679. *n.* 4. Sunt enim notoriæ Extravagantes, & post publicationem satis evulgatæ per librorum impressionem, ita ut præsumi de illis ignorantia non possit, cum ergo idem sit esse notorium, & esse in judicio productum. *Alexand. in l. Cum prolatio n.* 19. *ff. de re judic.* Sententia contra Extravagantem notoriam lata omnino nulla est judicanda. *Franc. de Pavinis in præl. ad Extrav. Joannis XXII.*

CAPUT XXV.

De Septimo Decretalium.

Quis librum hunc collegerit. Cujus sit auctoritatis. De alia Compilatione Libri septimi Decretalium cura Gregorii XIII. facta, sed hactenus suppressa.

1.

ULtimis hisce temporibus annexus est Corpori Juris Canonici in recentioribus exemplaribus liber septimus Decretalium collectarum à Petro Matthæo Jurisconsulto Lugdunensi, & ad normam Decretalium in quinque libros suosque titulos digestarum. Hic liber cum pri-

vata solum industria sit collectus & editus, nec ullam habeat approbationem Summi Pontificis Canonicus censeri non potest. Licet enim varias contineat Constitutiones Pontificias; attamen cum non constet de promulgatione earum, nec an receptæ sint, aut cum suis Originalibus in omnibus conveniant, vim obligandi non habent, nisi in forma authentica producantur. *Franc. de Pavinis in Prælud. an Extrav. Jo. XXII.*

2. Ad compilandum autem Librum septimum Decretalium authenticum adjecit animum & curam Gregorius XIII. eamque operam commisit Flavio Ursino, Franc. Alciato & Antonio Caraffæ Cardinalibus. Hoc vero Pontifice defuncto Sixtus V. ejus Successor hoc opus perficiendum commisit Pinello Aldobrandino, Matthæo Columnæ è numero quoque Purpuratorum, è quibus Aldobrandinus post obitum Sixti in thronum sublatus perfectioni ejusdem operis institit, cumque dubium incideret, an inferendi quoque essent Canones Conciliorum Florentini & Tridentini ad dogmata spectantes, judicarunt eos compilationi isti inferendos esse, sicque Volumen istud diversorum Pontificum Constitutiones & Conciliorum

rum decreta trecentorum prope annorum in quinque libros disposita, suisque distincta titulis complectens die 25. Julii anno 1598. perfectum est. Verum cum typis jam excusum sub nomine septimi libri Decretalium Clementis VIII. vulgandum esset, movetur quæstio, an à Juris peritis edi possint glossæ & commentarii super Decretis Concilii Trid. huic libro insertis, non secus ac super aliis compilationibus factum videmus. Quod cum sub gravissimis censuris inhibuisset Pius IV, suppressa est publicatio hujus Voluminis tantis laboribus elucubrati tantisque Jurisconsultorum votis expetiti. *Fagn. in c. Cum venissent de Jud. n.* 61. & 63.

FINIS.

Ad DEI DEIparæque Gloriam & honorem.

